


05

A

1847





Σὺν Ἰησῷ.
ÆTERNA
IESU CHRISTI
Divinitas

Sacris Oraculis demonstrata.

PRÆSIDE

*VIRO perquàm Reverendo, Amplissimo &
Excellentissimo*

Dn. FRIDERICO BALDUINO,
S. S. Th. Doct. & Professore publico; Facult.
Theol. Seniore venerando, Ecclesiarum Electoratus
Saxonici Superintendente generali vigilantissimo, & Con-
sistorij Witteberg. Assessore solertissimo, Præceptore, Fautore,
& Promotore suoq; omni observantiæ cultu jugiter
prosequendo,

*In inclyta VVittebergensi Academia publicæ dispu-
tationi subjecta à*

M. BALTHASARE BOCKWITZIO Lausii-
genfi, Misn. Schol. oppid. Wittebergensis
Conrectore.

ad diem 28. Maij.

WITTEBERGÆ
Typis JOHANNIS GORMANNI.
ANNO CHRISTI 1624.



7781 A 50

DR. BALTHASAR BOCKWITZIO

WITTEBERG

JOHANNES GÖTTMANN
LIVRO CHRISTIA



וְיִשְׂרָאֵל יִשְׂרָאֵל יִשְׂרָאֵל יִשְׂרָאֵל יִשְׂרָאֵל יִשְׂרָאֵל יִשְׂרָאֵל יִשְׂרָאֵל יִשְׂרָאֵל יִשְׂרָאֵל
וְיִשְׂרָאֵל יִשְׂרָאֵל יִשְׂרָאֵל יִשְׂרָאֵל יִשְׂרָאֵל יִשְׂרָאֵל יִשְׂרָאֵל יִשְׂרָאֵל יִשְׂרָאֵל יִשְׂרָאֵל
וְיִשְׂרָאֵל יִשְׂרָאֵל יִשְׂרָאֵל יִשְׂרָאֵל יִשְׂרָאֵל יִשְׂרָאֵל יִשְׂרָאֵל יִשְׂרָאֵל יִשְׂרָאֵל יִשְׂרָאֵל

בְּאֵלֵינוּ

IESU CHRISTI
ÆTERNA DIVINI-
tas Sacris Oraculis
demonstrata.

Præloquium, & THESIS,

I.



*Ecce! quæcumq; concupiscit desiderium ani- OMNIA
mi tui, in Christo Iesu obvia tibi sunt exposita; Si Iesus.
errore vagaris, Christus via est; Si mendacio deti-
neris, Christus veritas est; si morte terreris, Chri-
stus vita est; si perditioni obnoxius es, Christus est re-
surrectio; si peccatis, paupertate, ægitudine, aliis-
que afflictionibus cæcus fueris, Christus lux est, ita oculos illuminans,
ut per fidem, quæ est vera oculorum mentis acies, perspicacissime videas,
& ambules, per peccata ad iustitiam, per paupertatem ad veras diviti-
as, per ægitudinem ad sanitatem, perq; omnes afflictiones ad vera, &
nunquam intermoritura gaudia. Amœnissimum hunc piarum
de Iesu nostro meditationum florem ex horto Brentij homili-
tico, nominatim ex hom. 1. in c. 1. Samuelis lib. 1. decerpere, inq;
limine hoc ponere placuit; ut non modò, quantus thesaurus,
quantùmve copiæ cornu Christus sit; Sed &, quid eidem pro
beneficiis tantis debeamus, Lectori in mentem revocaremus.
Quod si enim, uti liquet, Christus totus noster est, & omnia
nobis factus est: exinde sanè quivis Christianorum; nostrum*

A 2

non a myice

vice versa esse, ut & nos omnia nostra Christo offeramus, & quicquid in nobis est, id totum honoribus ejus consecremus, sine difficultate colligere poterit.

Quot mo-
di Christus
honore-
tur.

II. Honoramus autem Christum potissimum *duobus modis.*

1. Quando cultum in verbo divino nobis præscriptum sine hypocrisi pro posse exhibemus, & exhibendum docemus.

2. Quando contra hostes sinceræ veritatis Evangelicæ honorem ejus strenuè defendimus:

III. Uterq; honoris modus à purioribus quidem Theologis conjungi solet; Unus tamen præ altero interdum fusiori exegesi, certum propter respectum adhibetur. Nam pro cathedra in templis prior, ut magis evolvetur, pro cathedra verò in Academiis posterior ut exactius enodetur personarum, loci, & temporis patitur ratio

IV. Multifariam autem Christi honor impugnatur, *vel* quando ejus Naturæ & ex iisdem *vel* divina, *vel* humana, *vel* quando personalis unio, & Naturarum communicatio *vel* quando ea, quæ personalem Unionem consequuntur, ut: Idiomaticum communicatio realis, officium & alia minus rectè extra scripturam considerantur. Multifariam ergo è contra honor Christi defendendus venit, & de omnibus ejusmodi *ἐπιποδοξίας* orthodoxi confessores, ut conflictentur, necessum habent.

V. Conflictus tales haud rarò repetuntur, & ut repetantur operæ est precium; non quidem propter Adversarios; sed ut Juniorum animi rectius instruantur, & ad propulsandos hæreticorum sophismatum arietes præmuniantur.

VI. Vestigiis aliorum in præsentia insistere, consimilemq; pro honore Christi conflictus repetitionem pij exercitij gratiâ instituire placet: Et ne Oceanum cochleari videamur hausturi, missis controversiis aliis saltem contra hodiernos Photinianos laborabimus, fidemq; nostram confirmabimus, Aeternam Jesu Christi divinitatem sacris oraculis demonstraturi.

VII. Ipse Dominus Jesus, cujus honori vela pandimus, è sacratissimo sacrarum literarum armamentario arma nobis suppeditet sufficientissima propter nominis sui æternum honorem Amen.

STA-

STATUS CONTROVERSIÆ.

VIII. Atq; ut cancellos intra quos erit decurrendum, hoc est; Statum controversiæ ex ipsa Adversariorum mente ponamus; Erit iste, ut attigimus, DE CHRISTI ÆTERNA DEITATE. Nostri Ecclesia art. 3 Aug. Conf. docent, quod Verbum, hoc est, Filius Dei, assumpsit humanam naturam, in utero B. Mariae virginis, ut sint dua natura, divina, & humana in unitate personæ inseparabiliter conjunctæ, unus Christus vere DEUS; & vere HOMO. Est autem verè Deus ille, qui æternus est; Ergo æternum DEUM docent credendum. Docent scilicet id, quod est in exegeticis, super secundum symboli Apostolici articulum, verbis: Credo, quod Christus Iesus à Patre ante secula genitus, verus Deus idemq; ex Maria virgine natus verus homo sit meus Dominus.

Contra verò Photiniani, licet doceant Christum non esse purum putum hominem, cum sit è Spiritu Sancto conceptus; Et ex Maria VIRGINE natus: Tamen quæcunq; de ejus vera æternaq; Deitate à nostris dicuntur, ea omnia in totum negant, & pernegant, prout eorum scripta, cum primis Catechesis Racoviensis testatur.

IX. Emergit ergò Status controversiæ talis: *An Christus sit Æternus Deus?* Sanctè nos affirmamus: Illi negant, vel potius affirmationem nostram evertere allaborant.

X. Et hunc quidem Statum non tam nos, quam ipsi formant: Sic enim Ostorodus in Inst. Germ. c. 8. part. 1. Nun wollen wir senderlich/ weil dessen kurtz zuvor gedacht/ untersuchen/ ob irgendetwas aus heiliger Schrifft könne beygebracht werden/ damit zu beweisen/ **Das Christus von Ewigkeit sey/** denn wo das war were/ würde aus demselben kurtz umb geschlossen werden/ daß er Göttliche Natur habe/ das ist/ daß er der einige Gott selber sey. In quibus, licet æternitatem Christi probari saltem petat; Quando tamen nos æterni Dei, sive æternæ Jesu Deitatis mentionem facimus, retinemus non modò statum, sed insuper tale quid addimus: Quod Adversarios posset reddere certissimos; nisi in Spiritum Sanctum peccare pergerent.

Nomen
Christus
nomen
personæ
duarum
naturarū
significati-
vum.

Quod si enim non modò Christi æternitas erit demonstrata, id quod fiet tribus gradatim se invicem sub sequentibus membris; Sed & præterea ipsa Deitas vera in victis testimoniis erit comprobata, quod fiet membro quarto; quid quæso amplius de Christi æterna Deitate remanebit dubij?

XI. Antequam autem ad ipsam rem accessum plenè faciamus pauca de Subjecto, & Prædicato admonuisse non erit operæ dispendium; Subjecti loco posuimus vocem *Christi*, talem putà vocem, quæ non naturam, sed personæ nomen est; Non notat vox *Christi* naturam, vel humanam, vel divinam solam; Sed personam ex utraq; constantem. *Filius Dei Christus dictus est, ex quo in Sanctæ semper virginis utero conceptus, & caro incommunicabiliter factus est.* Damasc. l. 4. c. 6. Christus τὸ συναμφοτέρῃ ἐγγυ νοεῖται id esse intelligitur, quod ex utroq; constat. Ath. orat. 5. contr. Arian.

XII. Quamvis verò in præsentia cum primis ad divinam naturam, juxta quam Christus ante nativitatem extitit persona simplex & nomen λόγος in sacris habet, respectus habeatur, sicq; meliùs λόγος nomen adhiberetur; Christi tamen nomen subjecti loco, quod retinuerimus, factum. 1. Propter Adversarios, qui lubentiùs eo utuntur, & rarò λόγος mentionem faciunt; 2. Ne sic omnem ad personam respectum, planè præterierimus, sed duarum in ea naturarum veritatem unà defenderemus. 3. Quia scriptura præeunte omninò non destituimur. Nam cum Heb. 13, 8. dicatur: *Iesus Christus heri & hodie*, idem est etiam in secula: Quis non eodem modo dicere nobis erit integrum: *Christus est æternus Deus.*

XIII. Prædicatum, ut innuimus resolvi potest in distinctos terminos, in æternitatem, & Deitatem: Ductu hujus resolutionis stylum eò dirigemus, ut demonstratam exhibeamus æternam Christi Deitatem; Æternam, inquam, ergo non eam, quæ ex officio de Angelis, & hominibus prædicari solet, quam etiam de Christo non illubenter Adversarij concederent, sicuti infra patebit: Jam ad rem.

STL-

SYLLOGE DEMONSTRATIONIS Syllogistica.

XIV. Pro affirmativa itaq; quando de Christi æterna Deitate quaeritur, in nomine Iesu Christi æterni Dei stamus hoc modo:

Quicumq; natus Novi Testamenti tempore

1. *Præexistit in Veteri Testamento.*
2. *Iuxta illam præexistentiam est increatus.*
3. *Expressas æternitatis notas habet in sacris. Et*
4. *Nominibus infallibiliter Deitatem arguentibus insignitur; Is est æternus Deus.*

Christus natus Novi Testamenti tempore,

1. *Præexistit in Veteri Testamento,*
2. *Iuxta illam præexistentiam est increatus,*
3. *Expressas æternitatis notas habet in sacris, Et*
4. *Nominibus infallibiliter Deitatem arguentibus insignitur.*

Ergo Christus est æternus Deus.

Hæc nostra est de Christi æterna Deitate fides, de qua cum sumus certissimi, non veremur eam expressis adeò verbis proponere, & in sequentibus membratim confirmatam exhibere.

XV. Et cum nimis longum foret singula membra singulis quotquot in sacro codice reperiuntur testimoniis hoc loco demonstrare; Ideò brevitatis ergò unicuiq; Membro Triadem modò demonstrationum subjiciemus, easdemq; ab Adversariorum corruptelis vindicabimus ita, ut exinde de reliquis facilè fieri queat iudicium.

MEMBRUM. I.

DE CHRISTI IN VETERI TESTAMENTO, ante nativitatem ex Maria virgine in Novo Testamento, præ-existentia.

XVI. Præexistentiam Christi in Veteri Testamento ante su-

Præexistētia natiuitatem in Novo Testamento demonstrat infallibilitatem Chri-
tiam Chri- lites.

sti demon- 1. Mirabilis utriusque Testamenti consensus.

strat. Hæc ut plenius innotescat, tria attendenda sunt. 1. Ea, utriusque, quæ in Veteri Testamento. 2. Ea, quæ in Novo Testamento Testamen- dicuntur. Et 3. consensus.

ti consen XVII. In Veteri Testamento est *historia Israelitarum ab Abra- sus in quo mo usque ad captiuitatem Babylonicam*; Hæc in Novo Testamento sunt. per inductionem repetitur; ita tamen ut inter historiarum confi-

1. *Dicta in* gnationem veterem, & repetitionem novam sic consensus.

Veteri Te- *Dicta historia in Veteri Testamento extat fusè in Genesi, Exodo, stamento. & Numeris, ἐπιτόμως* in cantico Esaiæ eucharistico, quod est

c. 63. v. 7, 8, 9, 10, 11. Ipsam historiam cum epitome coniunxisse minimè in iucundum est, & historiarum cognitionem non parum iuvat: Coniungemus ergo.

XVIII. Gen. 17. quando Abrahamo post mutationem nominis Abram injungitur recipienda circumcisio in signaculum justitiæ fidei, quæ fuerat in præputio Rom. 4. v. 11. Jehova cum eo fœdus pepigit tale: v. 7. & 8. *Statuam pactum meum inter te, & inter semen tuum, post te, in generationibus tuis fœdere sempiterno, ut sim Deus tuus, & seminis tui post te. Daboque tibi, & semini tuo terram peregrinationis tue &c.* Hoc in pacto, uti cuiusvis patet, Deus Abrahamum cum posteris in populum suum recipit.

Esaias c. 63. hoc ipsum celebrat, & (postquam proposuit v. 7. se velle recordari domini miserationum) v. 8. ita eloquitur: *Et dixit: (sc. Jehova ad Abrahamum, & posteros Israelitas) veruntamen populus meus est, filij non negantes, & factus est eis Salvator.*

Atque ita ab Esaiâ v. 8. sub nomine Ecclesiæ repetitur, quod Gen. 17. v. 7, 8. reperitur.

XIX. Populum autem in hereditatem quasi per fœdus receptum Deus minimè deserit, sed paternè tutatur, & misso Angelo, qui (nihil iam dicam, quod Angelus increatus, & verè Jehova sit; Hoc enim suo loco agam) reverè Magnus est, protegit:

XX. Angelus ille Magnus antea quidem sæpè quoq; apparuit; sed in posterum, & recepto jam populo in fœdus, apparitiones ejus longè sint illustriores; & protectio sit plane singularis; uti etiam fuit: Singularem enim illam protectionem experti sunt tum cum Abrahamo reliqui Patriarchæ, & primates populi in Individuis, tum universus populus.

XXI. *Abrahamus* primus Israelitarum Patriarcha accepta circumcissione *Gen. 17.* visitatur ab Angelo Magno, sibi in forma viri cum duobus creatis Angelis itidem formam virorum gestantibus apparente; quæ visitatio non modò magnū gratiosæ protectionis signū est; sed & insuper effectu suo nō destituitur; siquidem protegitur unà ab interitu ejus familia, dum sterilitas Saræ removetur, & filius Isaac promittitur; *Gen. 18.* Præterea hic ille ipse Angelus Abrahamo Sodomæ, & Gomorræ interitum annunciat, procul dubio, simul fratris, sive potius cognati Lothi liberationem indicans: Et cognitus ab Abrahamo, quòd sit totius mundi iudex; eum tamen cum multa lenitate de incolis Gomorræis differentem audit, nec instanti irascitur.

XXII. *Loth* protegitur ab Angelo Magno dum missis duobus aliis Angelis educitur, & ab interitu, qui Sodomitis, & Gomorræis imminebat, liberatur *Gen. 19.*

XXIII. *Isaac* magnum Angelum protectorem habet, dum quæ ejus matrimonium spectabant, omnia felicissimè succedebant *Gen. 24.* dum Rebecca uxor ejus sterilis frugifera redditur. *Gen 25.* dum in Philistæa sub Abimelech rege nihil mali ei inferitur *Gen 26.* dum ne contra voluntatem DEI Esavo benedicat, ejus benedictio in Jacobum dirigitur *Gen. 27. v. 28.*

XXIV. *De Jacobo*, quod & ille ab Angelo Magno protectus sit piis sacrarum literarum Lectoribus dubium nullum esse potest. Angeli hujus dispositione Jacob, ne Esavi manus incidat, à parentibus in Mesopotamiam mittitur *Gen. 28. v. 5.* Angelus hic proficiscenti Jacobo in Bethel apparet; *v. 13.* Et licet hoc in loco, ut & *Gen. 31. v. 13.* vocetur Deus; Personam tamen Angeli Magni Deum hunc esse, satis *Ose. 12. v. 4.* liquet. Idem Angelus Jacobū copiosa familia & divitiis adauctum è Meso-

B

potamia

potamia in terram Canaan saluum reducit; *Gen. 31.* Esavum olim irâ, & invidiâ inflammatum Jacobo placatum reddit; *Gen. 32.* è Sichimitarum regione Jacobum, ne propter filiorum homicidium incommoda à vicinis patiatur, exire jubet. In summa Angeli Magni tanta erga Jacobum sunt beneficia, ut jam jam moriturus Jacobus in benedictione Ephraimi, & Manasses non potest non grata mente eorum recordari; Dicit ergo: *Deus in cuius conspectu ambulaverunt Patres mei Abraham, & Isaac, Deus, qui pascit me ab adolescentia mea usq; in presentem diem; Angelus, qui eruit me de cunctis malis, benedicat pueris istis; Gen. 48. v. 15, 16.*

XXV. Iosephus extra omne dubium tanta mala non superasset; tantam dignitatem non assecutus fuisset, hoc sine magno Angelo populi sui afflictionem vidente, *Exod. 3. v. 7.* si fuisset.

XXVI. *Universus Israelitarum populus,* quomodo Angelum protectorem habuerit, abundè testatur historia de exitu ex Ægypto. Hoc etenim Angelo protectore factum, ut quò magis populus in servitute premeretur, eò magis multiplicaretur, & cresceret; *Ex. 1. v. 12.* Siquidem vidit afflictionem populi sui in Ægypto, & clamorem ejus audivit *Ex. 3. v. 7.* Quapropter descendens, ut liberet, vocavit, & misit Moſen ad educendum Israel; Id quod factum. Et quidem non tam Moſes, quàm hic ipse Angelus Magnus eduxit populum, dum post edita multa miracula populum exeuntē præcedebat ad ostendendam viam per diem in columna nubis, & per noctem in columna ignis, ut dux esset itineris utroq; tempore *Ex. 13. v. 21. 22. cap. 14. v. 10.* Angelus hic populo tulit legem *Ex. 19. & 20.* siquidem cum eo locutus est Moſes in monte Sina *Act. 7. v. 38.* Unde Jehova Pater de eo: *Ex. 23. v. 20. 21.* *Ecce ego mittam Angelum meum, qui præcedat te, & custodiat in via, & introducat in locum, quem præparavi: Observa eum, & audi vocem ejus, nec contemnendum putet, quia non dimittet, cum peccaveris, & est nomen meum in illo.*

Et hæc est narratio Mosaica de Angelo Magno dum Patrum in individuo, tum totius populi protectore.

XXVII. *Esaias* d. l. sequenti v. 9. epitome prophetica tali utitur: *In omni tribulatione eorum non est tribulatus, & Angelus Faciei ejus salvavit eos, in dilectione sua, & in indulgentia sua ipse redemit eos, & portavit eos, & elevavit cunctis diebus seculi,* verba hæc ex ipsis historiae visceribus petita esse, adeò patere omnibus, ut fusiore exegesi opus hic non sit, minimè dubitamus. Solū hoc notamus; quòd Moses & *Esaias* protectionem populi unanimiter Angelo acceptam ferentes; & in ejus descriptione optimè conveniunt; Moses *Ex. 23. v. 20.* habet hæc *Jehovæ* Patris verba: *Ecce ego mittam Angelum meum;* Huc respiciens *Esaias* nominat Angelum Faciei ejus, id est *Jehovæ*; Quod sanè magni, & planè singularis Angeli est iudicium.

XXVIII. Angelo Magno protectori suo *Israelitæ* omnem quidem debuissent observantiam; Sed, quod dolendum, multis eum modis offendunt: Moses offensa eorum annotat; Legimus ergo, quod non solum brevi ante exitum ex *Ægypto*, & ante transitum per mare rubrum indignatione hunc Angelum prætereuntem offenderint; Sed & post visa ejus miracula murmurarint in *Marath* propter defectum aquæ, *Ex. 15. v. 24* in *Sin* ob defectum panis, & carnis *Ex. 16. v. 2. seqq.* Surgentes manè obtulerunt holocausta, & hostias pacificas diis alienis, seu vitulo ab *Aarone* confecto, seditq; populus manducare & bibere, & surrexerunt ludere *Ex. 32. v. 6.* Murmurarunt iterum ob defectum carnis in loco, qui vocatus est, sepulcra concupiscentiæ; Murmurarunt incitati ab exploratoribus promissæ terræ, *Ex. 14. v. 1.* quo in loco ipse Dominus decem tentationis vices annumerat v. 22. Murmuravit non modò *Corach*, *Dathan*, & *Abiron* cum affeclis, sed & iisdem interemtis totus populus eodem murmurationis vitio graviter peccavit *Num. 16. v. 2. 41.* Cum primis ubi populus tædere cœpit itineris, & laboris contra Dominum, & *Mosen* audita sunt murmura: *Num. 21.* Quæ omnia non in *Mosen* primariò, sed in Angelum magnum; Angelum Faciei *Jehovæ*, qui ipse *Jehova*, & Deus est, diriguntur.

XXXIX. *Esaias* dicta ex *Mose* ita colligit v. 10. *Ipsi* (*Israelitæ*) autem provocaverunt ad iracundiam, & afflixerunt Spiritum

tum Sanctum ejus; Scilicet Angeli quem Paulò ante nomina-
rat. Circa quod notemus Israelitarum delicta totam Trinita-
tem petere: Offenso enim Spiritu Sancto Angeli, offenditur
ipse, & offenso Angelo faciei Jehovæ, dubio procul ipse Je-
hova offenditur.

XXX. Quapropter & pœnam propter peccata, quæ Isaelitas
mansit, sive Spiritui Sancto Angeli; sive ipsi Jehovæ ascriba-
mus: Ab Angelo tamen magno eam inflictam esse, sciendum
est; partim quia hoc evincunt apparitiones, partim quia pa-
tet ex eo, quando Jehova Pater jubens audire vocem Angeli
magni addit; Non dimittet cum pecaveris.

XXXI. Et itaq; Angelus magnus punit, quando furor Domi-
ni concitatur in populum & percutit eum plaga nimis magna;
Num. 11. v. 33. Angelus magnus vindictam exercet, quando
Amalechites, & Cananæus, qui habitabat in monte percuti-
ens Israelitas (scil. contra mandatum Domini belligerantes)
persecutus est eos, usq; Horma; *Num. 14. v. 45.* Angelus Ma-
gnus majestatem suam apparere facit, quando non modò
disrumpitur terra sub pedibus Corach, Dathan & Abiron, &
aperiens os suum deglutit eos, & omnia, quæ ad illos perti-
nent *Num. 16. v. 32.* & insuper ignis egressus à Domino interfici-
cit 250. viros, qui efferebant incensum *v. 35.* Sed & in populo re-
liquo ob murmura percutiuntur 14070 hominum, *v. 49.* An-
gelus magnus misit in populum serpentes ignitos, è quorum
morsu populus multus mortuus est. *Num. 21. v. 6.* Omnia hæc
cum aliis multis habet Moses.

XXXII. Esaias d. l. *v. 10.* tali epitomæ ea includit: Et con-
versus est eis in inimicum, & ipse debellavit eos. Vides quàm
optimè Moses, & Esaias conveniant; Et hæc ex veteri Testa-
mento sufficient.

XXXIII. In Novo Testamento eadem historia repetitur, &
exempli loco Corinthiis ob oculos ponitur. *1. Cor. 10. v. 1.*
usq; 11. Hoc fine, & scopo, ut Apostolus auditores à vitiis de-
hortaretur, hoc modo; *Si Deus Iudeorum patribus antiquis non*
pepercit, neq; parcat posteris, aut ex gentilitate quidem conversis; sed
ad impietatem relapsis.

2. dicta in
Novo Te-
stamento.

XXXIV. *Consensus* hujus repetitionis, & relationis veteris. *Consensus ipse.*
restat inquirendus. Et 1. quidem cum Apostoli verba succincta, & pro ratione instituti brevia sint in verbis dissensum aliqualem dari non negamus; Interim modò sensus retineatur integer, nihil obstat, adde, quod & hoc certum sit, Apostolum verba sua qs. ex ipsis historiarum penetralibus petiisse, 2. Res etiam easdem adesse, nemo negare poterit; Et licet non omnes Apostolus ratione instituti recenseat, nihil tamen, quod in Mose non sit habet. Per Res autem intelligo Beneficia, quæ sunt in v. 1, 2, 3, 4. & Transgressiones, & subsequentes Pænas, in v. 5. usq; ad 11. Et hucusq; quidem non pugnabunt adversarij ipsi. Verùm 3. *An in persona cum Mose, & Propheta Apostolus conveniat; hoc est, An eidem Personæ principi assignet educationem Israelitarum cui Moses, & Esaias?* quaeritur; Affirmant adversarij; Affirmamus etiam nos; sed diverso modo: Dicunt illi Israelitarum eductorem esse Jehovah Deum Patrem, non Angelum aliquem aut Christum.

Dicimus nos; Israelitarum eductorem esse, (non quidem excluso patre, cum sit eductio opus Dei ad extra) Christum qui expressè nominatur ab Apostolo; nominetur autem à Mose jam Jehova, jam Angelus; ab Esaias Angelus faciei Jehovahæ.

XXXIV. Et quidem quid Angelus magnus seu Angelus faciei Jehovahæ tum benefaciendo, tum puniendo præstiterit; sufficienter ut speramus, fuit annotatum; cum primis quod præcesserit populum exeuntem, & offensus sit, quando ob serpentum ignitorum morsum populus multus mortuus, th. 26, & 30. legitur; Hoc ipsum Apostolus Christo tribuit; comitatū quidem seu juxta Mosen, præcessum: v. 4. Ex Exod. 13, 14. & 17. his verbis: *Bibebant* (omnes scilicet Israelitæ) *de spirituali quæ illos comitabatur Petra; Petra verò fuit Christus:* Offensionem seu tentationem v. 9. ex Num. 21. *Nolite tentare Christum, sicut & quidam illorum tentaverunt, & à serpentibus extincti sunt.* Apicibus & literis ergo, dum Moses Angelum; Paulus Christum nominat, videntur dissentire.

XXXV. Reverà quod non dissentiant, ita probamus:

B 3

Aut

Aut Paulus eandem personam principem educationis intelligit, quam Moses, aut non. Si posterius hoc, labascit historiae certitudo, probatio. periclitatur infallibilis scripturarum firmitas, dabitur de Apostoli θεοπνευσία. Sed cum hæc omnia absurda & impia prius dandum erit necessario cum tertium non reperiatur: Si prius est, uti est, datur eadem persona: sed ejusdem personæ distincta sunt nomina, si datur eadem persona: hoc in passu de mutuo utriusq; Testamenti consensu dubitare non erit integrum.

XXXVI. Quapropter consentientibus ita Testamentis ulterius concludimus:

Angelus Magnus, & juxta Esaiam Angelus faciei Iehovæ Israelem in deserto comitans, & ab Israelitis offensus in V. Testamento extitit revera.

Christus est ille Angelus magnus: & Angelus Facie Iehovæ Israelem in deserto comitans, & ab Israelitis offensus. Ergo Christus in V. Testam. extitit revera.

Major firmissima, & Minor hæctenus demonstrata est. Stabit ergo conclusio.

XXXVII. Exinde concludendo pergimus:

Quicumq; natus N. Testam. tempore Israelitas in V. Testam. est comitatus, & ab iisdem est offensus, ille utiq; ante suam nativitatem præextitit.

De Christo minor vera est. Ergo etiam Conclusio. Pergimus.

XXXVIII. Qui præextitit in V. Testam. ante suam nativitatem factam in Novo Testam. ille est æternus DEUS.

Christus præextitit in V. Testam. ante suam nativitatem factam in Novo Testamento.

Ergo Christus est æternus DEUS.

Ad Majorem. Habemus quidem pro æterna Christi Deitate plura & fortiora argumenta: Verim ut gradatim peregrinamus, argumentum hoc præterire nolimus. Interim etiam si negant Adversarij; Majori nostræ tantam tamen inesse fortitudinem, quam nullo exemplo, nullave ratione æternæ Deitatis Jesu hostes expugnabunt, certiores sumus, quam certissimi. Minor robur suum habet in præcedentibus, quæ licet inexpu-

inexpugnabilia sint, eadem tamen nonnullis exceptionibus
adversæ parti impugnare placuit, quas audiemus.

EXCEPTIONES.

XXXIX. Excipiunt ergo 1. & quidem in genere: *Non posse
Christum esse illum Angelum qui eduxit Israelitas ex Ægypto. Si-
quidem Messias nullibi in V. Testam. vocetur Angelus.*

Resp. 1. Si Christus non posset esse Angelus eductor, fal-
sa essent, quæ Apostolus dixit de ejus comitatu: Verum plura
credimus Apostolo. 2. Ratio universalis negativa dum de-
mum staret, si inductio non apportaret exemplum contrari-
um: Quia ergo in V. Testam nominatim *Malach. 3. v. 1. Messias* *Messias in*
expressè dicitur: מַלְאָךְ הַבְּרִית *Angelus foederis, ideoq; universalis* *V. T. Ange-*
litas ficta infringitur, perit; & apertum sub se occultar emen- *lus dictus*
dacium deprehenditur. *est.*

XL. Excipiunt 2. *Messias non potest, ille Angelus V. Test esse, quia*
in V. Testam. non est locutus; Probant ex Hebr. 1. v. 1. ubi dicitur:
DEUS olim varijs modis locutus est Patribus per Prophetas, Novissi-
mis verò diebus per Filium. Annotant; Per Olim Vetus, per Novissi-
mos dies Novum Testamentum intelligi: Mens eorum huic dif-
kursui includi potest:

Quicumq; est locutus Patribus Olim. i. e. in V. Testam. ille non
est Messias. Angelus eductor locutus est Olim. Ergo.

Resp. 1. Ad Majorem: Quicumq; est locutus olim typicè,
ut Propheta, ille non est, vel fuit Messias. Hac additâ
limitatione vide, an subsumere queas de Angelis. Et hanc
limitationem non de nostro addimus, sed verba Apostolica
expressè loquuntur de Prophetis, quòd DEUS olim sit locutus
per Prophetas seu עַל פִּי נְבִיאִים וּמַלְאָכָיו *in Prophetis, ijs scilicet, qui*
typos de Christo proposuerunt, quos tandem Filius DEI pro-
pheta N. Test. non tantum explicavit; sed & ipse implevit. No-
tetur itaq; 1. Subiectum loquens: 2. loquendi modus: Utrūq; ne-
gligitur in argumēto allato 1. dum Prophetis substituuntur An-
gelis; unde in ignorationem Elenchi impingitur. 2. dum typicus
& Propheticus loquendi modus de Christo opponitur sermoni
bus Christi typos implentis, & necitur exinde consequentia,
ad ne-

*Christus in
V. T. locu-
tus est,*

ad negandam realem ejus in Veteri Testamento præ existenti-
am, quæ consequentia tamen nulla est. 2. Christum autem
ut Angelum in Veteri Testamento locutum esse probatu haud
esse difficile. Christum esse Angelum educentem populum
ex Ægypto jam modo demonstravimus. Angeli illius vox au-
dienda præcipitur *Exod. 23. v. 20.* Audiri non potuisset nisi An-
gelus locutus fuisset: unde potius hac occasione pro existen-
tia Christi ante nativitatem tale formamus argumentum:
*Quicumq; ante nativitatem suam factam in Novo Testamento, tempore
Veteris Testamenti Israelitis est locutus, & dedit præcepta, ille reverà
ante nativitatem extitit.*

*Christus ante nativitatem suam factam in Novo Testamento
tempore V. Testamenti Israelitis est locutus, & dedit Præcepta. Ergo.
Vide etiam Ose. 12. v. 4. ubi Angelus qui Jacobo in Bethel appa-
ruit: expressè locutus quod fuerit, dicitur.*

XLI. Excipiunt 3. *Ille est Christus cui DEUS dixit: Filius
meus es tu: At nulli Angelorum hoc dixit Hebr. 1. v. 6. Ergo nullus
Angelus potest esse Christus.*

*Filiatio re
spectu Dei
Gratiosa?
quotuplex?*

Resp. 1. Duplex est Filiatio respectu DEI: *Essentialis* vel
Gratiosa. *Essentialis* ea est, quando DEUS ab æterno gignit
Filiū essentia, & potestate sibi similem: Talem scil. Filium,
qui dicitur *εικὼν τῆς θεῶν ἀορατῆς, ἀπαύλασμα τῆς δόξης, καὶ
χαρῆς τῆς ὑποστάσεως αὐτῆς.* *Gratiosa* filiatio est quando
DEUS vel per creationem, vel per adoptionem creaturis Pa-
trem sese constituit. Priori modo Unicum DEUS habet
Filiū; λόγον; qui unigenitus à Patre filius dicitur *Ioh. 1. v. 14.*
Posteriori Angeli & homines haud rarò nomen filiorum Dei
in sacris habent; Angeli sunt Filij DEI venientes, ut astant
Jehovæ *Iob. 1. v. 6.* De hominibus scripta extant hæc DEI
verba, *2. Cor. 6. v. 18.* Ero vobis pro patre, & vos eritis mihi vi-
ce filiorum ac filiarum. Datâ distinctione adhibita Majoris
limitatio emergit talis: Ille est Christus cui dixit DEUS, Fili-
us meus es, quem hodiè ab æterno ex essentia genui, qui ha-
be eandem mecum essentiam, & potestatem. Et ita totum
conceditur argumentum: in minore si sermo de creatis An-
gelis sit; Quod si autem minor intelligatur de illo Angelo
qui

qui Israelitas eduxit; dicimus, quod minor sit particularis, & hoc respectu, quo adhibetur, falsa, siquidem ille Angelus est ipse Christus, prout th. 34. & 35. ostendimus. 2. Mirum est, quod hoc argumento Photiniani æternam Christi Deitatem impugnare conentur, cum tamen argumenti hujus sedes, caput scilicet primum ad Hebr. æternitatis Christi non indicia; sed infallibiles assertiones sat multas contineat: v. 2. Christus dicitur hæres omnium, per quem secula constituta. 3. Splendor gloriæ, & expressa imago substantiæ Dei. v. 5. Filius quem Pater hodiè genuit, v. 10. Fundator terræ, cujus manuum opera cœli sunt; &c. quæ omnia prius solidè evertenda essent, (everti autem non possunt) si quis contra æternam divinitatem Christi aliquid obtinere vellet.

XLII. Excipiunt in specie 4. *Apostolus non repetit vocem Christi, sed dicit, tantum. Neque tentemus Christum, sicuti quidam illorum tentaverunt. Videtur ergo, quod Christum non intelligat tentatum in Veteri Testamento.*

Resp. Dicta de Angelo magno ratione egressus ex Ægypto dicenda, & intelligenda quoque sunt de Christo. Atqui de Angelo non saltem dicitur, quod benefecerit, sed etiam quod offensus sit. Ergo eadem de Christo erunt dicenda & intelligenda. Majoris ratio est, quia Christus est ille Angelus, vide th. 34 35. Minor est in th. 28. Manet ergo conclusio. Licet itaque secundum literam de Christo non dicatur, quod contra eum murmurarint Israelitæ; Ex præcedente tamen v. 7. hoc patet, quod sensus de Christo lateat in viribus ab Apostolo v. 9. abbreviatis. Adde quod tam textus coherentia, quam abbreviatura ipsa ita sit comparata, ut nemo alium sensum, quàm quod contra Christum Israelitæ murmurarint, inde facile elicere possit, nisi textui vim inferre cuperet.

XLIII. *Instant: Articuli fidei non ex consequentiis, sed expressis astruantur verbis.*

Resp. Contortas consequentias nos ipsi rejicimus, quales haud raro adhibent Photiniani. Exemplum cupis, vide exegesis verborum Iob. 8. *Antequam Abraham erat ego sum.* Quod consequentias manifestas attinet, easdem firmo argumento

Quales consequentia Scripturarum recipiende?

C

nondum

nondum rejecerunt, neque rejicere poterunt; quin potius easdem amamus, & exosculamur obediētes nostro Præcepto-
ri Christo, qui dicit *Ioh. 5, 39. ἐπιμαρτυροῦντες τὰς γραφάς.* Quando
ergò v. g. *I. Ioh. 5, 7.* dicitur: Tres sunt, qui testimonium per-
hibent in cælo &c. tutò consequentiam nec timemus; Ergo Trini-
tas est. Sic quando constat, uti omninò constat, Christum
eduxisse, Christum comitatum fuisse Israëlitam, quis non exin-
de, quando Israëlitæ per tæxi itineris murmurarunt, tutò etiam
colligat? Ergo contra Christum murmurarunt, contra Chri-
stum, inquam, eos educentem & comitantem.

XLIV. Excipiunt 5. *Fuerunt alia persona, quæ præter Christum
tentari potuerunt. Ergo non necessariò Christus intelligendus.*

Resp. Quæ consequentia? Aliæ personæ (Moses, & Aa-
ron ministri) tentari potuerunt: Non ergo Apostolus de Chri-
sto, Domino purà ipso, loquitur. Verùm, ut taceam, injuri-
am servis illatam Dominum quoque ipsum petere, cogor cer-
tè de Christo Apostolum intelligere, quia textus arctè coha-
ret. Nec ulla est ratio, cur misso sermone de Christo ad per-
sonas alias Apostolum tam citò declinasse putem, maximè
cum Christus Angelus, ille magnus sit, cui principaliter edu-
ctionis opus competit, uti hæctenus ostensum.

XLV. Excipiunt 6. *Non est in Mose: למה העליתנו? quare e-
duxistis nos, sed למה העליתנו? Quare eduxistis nos? Num. 21, 5. Vi-
detur ergo populi murmur in Mosen saltem directum.*

Resp. Exceptio hæc omnium probatorum exemplari-
um testimonio manifestè falsa est. Producat vel unicum, in
quo non sit העליתנו. 2. Nec contextus aliud quid admittit:
Quoniam enim expressis verbis præcedit: *Populus locutus est
באלהים ובמשה in Deum, in Mosen,* necessum etiam, in ver-
bis continuò subsequētib; allocutionem non ad unam per-
sonam, sed ad plures directam assumere.

XLVI. Instant: *Errorem esse in punctatione ex Iudæorum neglectu,
punctuandumq; esse per העליתנו eduxisti nos nõ per העליתנו.*

Resp. 1. Si punctatio esset humanum inventum, hæc instan-
tia aliquam haberet speciem. Verùm, quia eandem probati in
lingua sancta authores fermè omnes, cum primis in Ty-
beriadæ

beria de Buxtorff. non ab hominibus inventam esse; sed ab ori- **Punctatio**
 gine linguæ unâ extitisse fusiùs probant, hoc quoque apud or- **Hebraorū**
 thodoxos in confesso sit, (siquidem cum in punctatione sen- **unde**
 sus Scripturæ lateat, erit utique ea non in hominis potestate
 sita; sed ab eo autore, qui autor est sensus in scripturis; Spiritu
 scilicet S. profecta) instantia allata eâdem facilitate rejicitur,
 quâ affertur. 2. Si punctatio forsitan deprehenderetur pec-
 care in Grammaticam, possemus cum Adversariis eam men-
 dis annumerare typographicis. Verùm nec ratione Grammati-
 ces quid desiderari forsitan posset videmus. Est enim **העליתנו**
 ab **עלה** ascendit, in Hiphil, significat, fecit ascendere; Et
 quidem est secunda plur. cum affixo **נו**, quæ affixa recipiens
 in **ו** mutat, unde ex **העליתם** fit **העליתו**. Adde Affixum,
 erit **העליתנונו**. Sed quia *καλλοφωνία* Hebræa requirit, ut con-
 currentibus duobus Vauschurkim prius transeat in (**ו**) fit hîc
העליתנו, Atque ita nec ratione Grammatices, allatæ instan-
 tiæ causam aliquam, imò voce hac tam *ἀναλυτικῶς*, quàm
σωτηρικῶς cōsideratâ nihil emergit aliud, quàm secunda plur.
 vertenda: Ascendere fecistis. 3. Si omninò hac in voce aliquid
 astruere vellent necessum esset, ut id fieret vel firma aliqua ra-
 tione, vel producto aliquo fide tamen digno exemplari Vete-
 ri, in quo esset (**ו**); Utrumq; deficit. Ergo (**ו**) stabit incon-
 cussum, donec tota scriptura pereat; Adde 4. etiamsi maxi-
 mè in dicta voce dubium aliquod reperiri posset, nondum ta-
 men res planè transacta esset: minimè etenim voci opus esset,
 ut nudæ inhæreremus, cum Moses, Esaias, & Apostolus aliàs
 satis superq; de Christi tum tentatione, tum ante nativitatem
 præexistentia testimonium ferant, uti pluribus suprâ demon-
 stratum.

XLVII. Præexistentiam Christi in Ver. Testam. ante suam
 nativitatem in Novo Test. demonstrat infallibiliter.

II. Evangelistæ Johannis testimonium.

Extat illud *cap. 1, 14.* hoc modo: *Verbum caro factum est.*
 Hisce formalibus nihil continetur aliud, quàm æternum Dei
 Filium in suæ personæ unitatem assumpsisse humanam natu-
 ram

II. Evan-
 gelistæ Jo-
 hannis te-
 stimoniū.

ram, factumq; esse personam, ex utraque natura, constantem; Et consequenter, ante incarnationem non fuisse personam. *σωθέντων*, sed simplicem.

Dicti Iohannitici
(Verbum
Caro factum est)
ἀνάλυσις

XLIX. Res patebit optimè ex verborum ἀνάλυσι. Subjectum est λόγος minimè φυσικός, aut vulgaris, ἔμφυτος, ἐνθάδε, προφορικός, ἡγερεαμυλίον; sed planè μεταφυσικός, talis scilicet, qui substantia est per se subsistens; imò qui ipse est æternus DEI Filius. Substantia est λόγος; quia substantialia prædicata nudæ voci non competentia habet: Dicitur enim vivere; *vita erat in ipso v. 4.* incarnatum esse &c. Filius DEI æternus est, quia non modò in principio apud Deum fuisse. *v. 1.* sed etiam expressè unigenitus à Patre Filius dicitur. *v. 4.* Sicuti autem λόγος, de quo Johannes, est Filius DEI certissimè: Ita per Eundem nemo potest intelligi alius, quàm qui hodiè, & à nativitate in tempore in omnem usque æternitatem est *Ἰησοῦς*, JESUS CHRISTUS; quia Johannes de Eo testificatur expressè, quòd sic Christus Jesus per quem gratia, & veritas. *v. 15. 16. 17.* Nec diffidentur Adversarii per λόγον Christum intelligi, licet λόγος nomen de Christi æternâ Deitate testimonium ferre negent. Huc usque de subjecto.

Carnis vox
quot modis
accipitur?

XLIX. Prædicatur, Verbum esse factum Carnem; Factum est non ἀπλῶς, hoc est, non simpliciter esse cœpit; sed factum est Caro, hoc est, cœpit esse Caro, quæ antea non fuit. Per carnem autem quid intelligatur? quæris. Respondeo; Carnis vox in scripturis tripliciter sumitur. 1. *ιδίως* pro parte corporis molli & rubicunda ex sanguine mediocriter reficcato genita, fibras masculorum complectente. *Gen. 9, 4.* 2. *συνεκδοχικῶς*, vel pro vera humanitate, vel aliquantò latius pro cunctis animalium generibus. 3. *μεταφορικῶς* pro carnalibus affectibus. Ex hisce significatis secundum (pro vera scilicet humanitate) locum obtinet, quando de Christi carne sermo est. Carnis enim vocabulum in locis illis omnibus, quæ de Christi carne loquuntur pro vera & perfecta humanitate sumi deprehenditur; non ergo erit integrum in præsentis loco alium significatum eidem affingere; Nec exceptionis hujus exempla etiam

Quid si
significet de
Christo u-
surpata?

alias

alias defunt; Notatâ enim per carnem verâ humanitate, dicitur Gen. 6. Omnis caro corruperat viam suam. Sic: In ventre Matris meae figuratus sum Caro. Sap. 7, 2. Consule etiam. Luc. 3, 9. Actor. 2, 17. &c.

L. Habemus ergo 1. per λόγον intelligi, qui post nativitatem in tempore est, Christum Jesum. 2. λόγον carnem factum, in verâ & perfectâ humanitatis assumptione; Unde talis ἀπόδειξις.

Quod non est factum simpliciter; sed est factum caro, illud extitit, antequam caro factum est.

Verbum non est factum simpliciter, sed est factum caro.

Ergo Verbum extitit, antequam caro factum est.

Et ut in terminis maneamus, Christi præexistentiam in V. T. ita ostendere pergimus:

In cuius nativitate ex Matre Nov. Test. suum habuit initium, ille si extitit ante nativitatem, utiq; in Vet. Test. extitit.

Atqui in nativitate Christi ex Matre Nov. Test. suum habuit initium. Ergo.

Adde. Iohannes dicit; Per λόγον omnia esse creata. Ergo λόγος extitit in creatione Vet. Test. quia in creatione Vet. Test. suum est sortitum initium. Perge insuper: Qui hoc modo extitit ille est æternus Deus. subsume, & concludere sicuti supra th. 38.

Απόδειξις hæc nostra est.

Exceptiones.

Exceptio

L I. Ab Adversariorum exceptionibus eam vindicabimus. nes.

Excipiunt autem primò in Subjecto: λόγος nomine non aliquem Primum: Deum æternum DEI Filium innui, sed hoc notari, quòd Christus strenuus, nomine à DEO missus orator fuerit. λόγος.

Resp. 1. Non sufficit sensum aliquem sacris obtrudisse, requiritur probatio. Unde autem, Christum exinde quia strenuus Orator fuit, λόγον dictum esse, probabitur? 2. Glossa talis vim facit textui, & ταυτολογίας haud obscure arguit Evangelistam, Christum esse verum hominem, non negant Adversarii; Per λόγον itaque ex eorum sententia intelligeretur ille, qui esset verus homo; unde porrò talis esset Iohannis propositio. λόγος, seu Christus verus homo factus est caro, id est, homo.

○

3.

3. Si

3. Si Christus hoc modo λόγος nomen haberet; aliis etiam Apostolis, præsertim Johanni Baptistæ iridem attribui posset; Licet etenim Baptista non sit idem qui Christus: strenuum tamen eundem fuisse Oratorem egregiasq; ad populum habuisse conciones, testatur N. T. litera. 4. Posito, Christum hoc modo dici posse λόγον, (certum interim est, in sacris nullibi eum ita dici:) Hæc tamen denominatio tantum esset secundaria; de qua responsio: Unius inclusio non est alterius exclusio. 5. Fundamentum cur λόγος non notet æternum DEI Filium, qui in tempore incarnatus est, non reperunt Adversarii in Johanne, neque aliàs in tota Scriptura; Quinpotius 6. credere cogimur, & credimus firmiter, λόγον esse æternum, Dei Filium, quia dicitur, quod in principio fuerit apud Deum, quod sit unigenitus à Patre Filius, imò talis Filius, qui est in sinu Patris, qui ipse DEUS. 7. Nec Johannes primus λόγος nomen adhibuit, siquidem idem de Filio Dei ante incarnationem V. T. tempore in usu fuit. *לִּבְרָא לִּבְרָא לִּבְרָא* λόγος verba Domini cæli firmati dicuntur Psal. 33, 6. per λόγον autem quis intelligatur patet ex collatione dicti Psalmi, & textus nostri Johannitici. Alia Veteris Test. loca studio jam prætermittimus. 8. Et sanè quod per λόγος nomen non intelligat Evangelista, aliquam humanam naturam; sed præexistentiam Christi, non contemnendum est indicium, quod descripta incarnatione v. 14. in sequentibus Evangelij sui λόγος nomen adhibuisse non facile apprehenditur, id quod studiosè olim observarunt Veteres. Hisce unà ponderatis nemo, quod scimus, Adversariis, eorundemq; opinioni ex animo, & illæsâ conscientia assentire poterit.

Instantia prima: De voce Principij. L. II. Instant 1. Ex voce Principij (quando dicitur, λόγον fuisse in principio,) non potest concludi aliqua æternitas, aut præexistentia Christi ante nativitatem, quia indicatur principium predicationis, vel officij. Declarant hoc ex Marc. 1, 1. Ubi vox principij cum determinatione, quatenus Christo attribuatur, ponitur. Mens eorum ita colligi potest.

Quale principium Marcus de Christo predicat, tale etiam Johannes. Atqui Marcus non absolutum aliquod; sed determinatum de Christo predicat

prædicat principium; Ita enim ejus habent verba: Ἀρχὴ τῶν λόγων.

ἀρχὴ Ἰησοῦ Χριστοῦ ὡς τῆς θεῶν. Ergo.

Resp. Minor quidem vera; at Major falsissima est. Unus enim vocis diversa esse possunt significata; Una quidem vox uno in loco unicam significationem obtinet; Distincti verò loci haud rarò significata multiplicant. Ne longius abeamus; hæc ipsa vox principij, de quo jam loquimur, bifariam in V. T. accipitur, 1. Pro initio temporis, quo arca fœderis in Sion collata est, Ios. 18, 1. Huc enim respiciens Ier. 7, 12. ita loquitur: *Ite in locum meum in Silo, ubi habitavit nomen meum à principio, & videte &c.* 2. Pro initio temporis, quo arca fœderis in Jerusalem collocata est; 2. Sam. 6, 16. seqq. Huc respicit Ieremias 33, 7. dicens: *Et convertam conversionem Iuda, & conversionem Jerusalem, adificabo eos sicut à principio.* Quidnã ergo in Marco & Johanne diversa principij significata reperiri posse asseramus: Imò, ut asseramus necesse est, cum dictorum Evangelistarum intentio planè sit dissimilis. Nam 1. Marcus verbis suis titulum, in v. 1. sequentium constituit. Johannes perfectam, & continuam orationem inchoat. 2. Johannes principium absolute nominat, quod est æternitatis notatio. Marcus substantivum addit, ut intelligatur, quale principium respiciat; nempe principium Evangelij. 3. Marcus de principio loquitur in casu recto; Johannes in obliquo, quo ipso evidens diversitas innuitur. Omnia hæc faciunt, ut concludamus; quòd à significatu principij in Marco ad tollendam significationem principij in Johanne nulla planè sit consequentia.

LIII. Instant 2. Exinde, quia dicitur: λόγον fuisse apud Deum in principio, concludi posse, quòd non sit verus Deus. Et ut mentem eorum assequamur rectius: Non quidem negant λόγον fuisse apud Deum; sed sensum horum verborum astruere hunc volunt; Quod λόγος strenuus orator ante initium prædicationis locali quadam mutatione in cælum ascenderit, & à Patre sufficienter instructus sit. Exegeſis hujus subsidium Iohan. 3, 13. quærunt, & in verbis illis: *Nemo ascendit in cælum, nisi qui descendit &c.* ejusmodi ascensum & descensum innui putant.

Instant. ſe-
cunda. De
voce Prin-
cipij.

Resp. 1.

EXAMEN.

Resp. 1. Apud eos concludi potest, quibus ex præconcepta opinione personarum in Trinitate Sacrosancta distinctio sudes est in oculis: Verùm Christiani verum Deum esse concludere necessum habent, 1. quia λόγος expressè in Johanne dicitur DEUS v. 1. 2. quia, quoniam in una Deitate tres etiam revelantur personæ, sciendum est, voce Dei personaliter accepta pro persona Patris, ut in præsentem sit loco; minimè negari perfectam Deitatem Filij, de quâ infra pluribus.

2. Quod attinet somnium illud malè ex Iob. 3. conceptum, nisi joci instar habeatur, erit, & est certè pessima scripturæ depravatio, quæ sua sponte corrumpitur, quando vera λόγος Filij DEI unigenit, qui in principio, & quidem absoluto, hoc est, ab æternitate fuit apud Deum, incarnatio ex Johanne innotescit, & addiscitur.

Secunda:
De voce
Carnis.

LIV. Excipiunt; secundo, de Prædicato: λόγος non factum esse carnem per incarnationem; sed sensum esse: λόγος strenuum Dei oratorem repudiatum à potiore parte mundi factum esse afflictum, & mortem acerbam sustinuisse.

Resp. 1. Nituntur hæc falsa hypothese, quæ est nominis λόγος interpretatio Photiniana; de qua jam modò th. 51. egimus. 2. Christum passum esse & mortem acerbam sustinuisse suo loco non negamus: sed docemus, & credimus firmiter, DEUM sanguine suo redemisse Ecclesiam Act. 20, 28. An verò in præsentem Johannis loco textus litera talem suppeditet intellectum queritur? negamus nos, quia contra textus claritatem, & contra vulgarem in Ecclesia interpretationem hæctenus nemo Photinianorum glossam adductam ab ἰδίας ἰσχυροῦς suspitione sufficienter liberare potuit. 3. Esto vocabulum carnis interdum notare infirmitatem. In præsentia autem de carne à λόγος assumpta, cur idem significatus stare nequeat, vide th. 39. 4. Optima censetur interpretatio ea, quæ fluit ex textu: Talis autem cum nostra sit de incarnatione λόγος uti cuivis dextrè judicanti ad oculos patet, non est, ut Photiniani aliam anxie intrudant. 5. Quod si autem recedere placet à nativo verborum sensu, transigant Adversarij cum Apostolo, qui itidem prædicatum nostrum non nisi de perfecta incarnatione, & humanitatis

manitatis assumptione accipit: Vide Rom. 1, 3. ubi ita de Filio Dei loquitur; quod fuerit ex semine David, κατὰ σάρκα; Sic Rom. 9, 5. dicit; quod Christus sit ex patribus κατὰ σέξουα. Atque ita alterum hoc est, quod concludimus.

L.V. Tertium sequitur; hoc est: Præexistentiam Christi in V. Test. demonstrat infallibiliter,

III. Ipsa CHRISTI assertio.

III. Pro-

Extat hæc Ioh. 8, 58. his verbis: *Antequam Abraham erat, ego sum.* Interrogatus scilicet à Judæis cum quibus erat con-

stantandum; An Abraham viderit, cum nondum 50 annos habeat? respondet Dominus, disertè; quod etiam ante Abrahamum fuerit, dicturus: Juxta humanam quidem naturam hujus ætatis nondum sum; sed alia in me est, præter humanam, natura, juxta quam cum Deo patre meo semper extiti; juxta illam sicuti æternus sum, ita reverà V. T. tempore cum Abrahamo, & ante eundem extiti.

L.VI. Verba hæc adeò clara sunt, ut pro demonstratione sufficient; Ex abundantia, & ordinis gratiâ ea ita disponimus:

Qui natus Novi T. tempore extitit ante Abrahamum ille utiq; ante nativitatem suam in V. T. extitit:

Christus natus N. T. tempore extitit ante Abrahamum.

Ergo.

Perge.

Qui hoc modo extitit ille est æternus Deus.

Subsume de Christo, & lege th, 38.

Exceptio.

L.VII. Thesis hanc nostram, potius ipsa hæc Christi verba quomodo obscurare satagent Adversarij, videndum. Excipiunt autem; *Versionem nostram esse vitiosam, cum non sufficienter exponat assertionem Christi, ejusq; sensum, insuper etiam in Grammaticam impingat.* Non enim *γενεσθαι* verti debere erat, vel fieret; sed *FIAT*, ita ut sit: *Antequam Abraham FIAT, ego sum.* 1. Quia Christi sermo sit, non de aliqua sui præexistentia in V. T. ante Abrahamum, sed de Iudeorum & gentium congregatione post suam resurrectionem futura. 2. Quia aorista sequantur tempus eorum verborum, cum quibus conjunguntur: Cum ergo in verbis: *Αγω ὑμῖν.*

D

776

πρὸν Ἀβραάμ ἤρξατο ἐγὼ εἶμι: praesens λέγω precedat, & praesens
εἶμι sequatur; aoristum ἤρξατο non per erat, vel fieret; sed per fi-
at, vertendum esse dicunt.

LXVIII. Sensem de Judæorum, & gentium congregatio-
ne ex sua versione educunt hoc modo: Antequam Abraham
(pater multarum gentium) fiat, (ex Abramopatre excelso) ego
sum (lux mundi.) Christum autem ex Abramo Abrah-
amum factum dicunt post ascensionem, quando ex Judæis, &
gentibus unum ovile constitutum fuit. Plenius sensus quem
afferunt ita proponitur: Amen. amen dico vobis (Judæi, qui
mibi mentionem Abrahami subjicitis) Antequam (ex Abram, ex me,
qui excelsus pater sum) Abraham (pater multarum gentium,) fiat,
(quod continget post meam in caelos ascensionem) Ego sum (Lux
mundi, quæ omnem hominem egregiè concionibus, & strenuis oratio-
nibus illuminat.)

LIX. Regulam de aoristis illustant ex Ioh. 13, 19. verbis: λέ-
γω ὑμῖν πρὸ τῆς ἤρξας ἵνα ὅταν γένηται πιστεύητε, ὅτι ἐγὼ εἶμι
quæ redduntur: dico vobis priusquam (non fieret) sed fiat, ut
cum factum fuerit, credatis, quod ego sim. Sicuti (cupiunt)
hoc in loco, Ita Ioh. 8. verba reddantur Antequam Abraham (non per-
Imperfectum erat, vel fieret; sed per praesens) Fiat, ego sum.

Resp. ingenere, Et 1. quidem ipse pro nobis responderet
rextus, quod nostra interpretatio sit literalis, contra verò
Photiniana miris modis se torqueat, uti cuius patet. 2. Me-
lior est illa interpretatio, quæ ita proponit Christi verba, ut
sint responsio ad Judæorum quaestionem directa: Pejor illa
quæ Christum sophistam extra scopum vagantem ostendit,
cum tamen in ore ejus non sit inventus dolus. Esa. 53, 9. 1 Pet.
2, 22. Num verò priori modo nostra; posteriori verò Pho-
tiniana sese habeat, judicet etiam, qui sine praedicio judi-
care didicit. 3. Nostra interpretatio habet praecurrentes pro-
batos autores, & interpretes; Photiniana econtra noviter ex-
cogitata, & propria est, cui quantum sit tribuendum, vide
2 Pet. 1, 20.

In specie fundamenta Photiniana istius interpretationis videbimus. Prius quod spectat, illud planè nullum est, & peccat, pugnatq; contra fidem historicam: Factum enim esse *Quando longe ante Christi ascensionem ex Abramo Abrahamum, Abram factum neminem potest latere; cum hoc doceatur tum quâ nomen, etus sit Abrahamum.*

Nominis mutationem vide expressam Gen. 17, 5. ubi Jehova ad Abraham: *Nec ultra vocabitur nomen tuum Abram, sed appella-beris Abraham, quia patrem multarum gentium te constitui.* Reverà Abram factus est pater Gentium dum non modò Gen. 22, 18. ei datur promissio, quod *in semine ejus benedicantur omnes gentes terra;* Sed etiam Gen. 17, 27. dum unâ cum eo in foedus gratiæ recipiuntur, non solus Ismael, & vernaculi; Verùm etiam *emptitij, & alienigena;* Quo respiciens Apostolus, dicit. Rom. 4, 11. 12. Abraham accepisse *συνεῖ, & ἑτεροῦς,* ut esset pater omnium credentium, & pater circumcisionis ijs, qui non solùm genus ducerent à circumcisis; Verùm etiam ingrederentur in vestigijs fidei; quæ fuit in præputio patris nostri Abrahami. Quapropter cum omnia ita contingere, non putandum eadem demum in Christi verbis promitti.

Quod si instabunt Adversarij: *Non quidem ipsam V. T. historiam esse in verbis Christi, sed Christum tantùm per allegoriam sibi nomina Abrami, & Abrahami attribuere.* *Instantia.*

Resp. Est petitio principij, quia allegorica talis allusio est, à *Responsio.* scopo in totum aliena; Et ubi quæso Abrami vel Abrahami, ubi ascensionis, ubi Lucis fit mentio? Quis etiam sensum talem assequeretur, nisi præconscripta opinio genuinum, juxta quem Christus ad petita respondere voluit, pervertere stude-
ret?

Posterius de Aoristis sequitur, de quo responsio est; i. Regula de aoristis, ut non est trita apud Grammaticos; Ita quoq; minime καὶ ὁ λόγος, præsertim de personis divinis quando sermo est. *De Aoristis Græcorum vertendis.* Esto, alias in communi sermone exempla dari, ut Iob. 13, 19. cui similem videmus locum Iob. 14, 29. (in quo tamen Erasmus, Interpres regulam de aoristis non observat!) De DEO verò, quando sermo est, non necesse est, eidem verba semper astringere.

D 2 Nam

Nam sicuti Deus in essentiâ suâ qualem non habet, nec agnoscit; ita minimè requiritur, ut sermones de Deo communibus semper conformentur. Non ergo aorista ad verba vel præcedentia, vel consequentia, quando de DEO loquimur, restringenda sunt. Hinc itaque sicuti *Psal. 99. 2.* in verbis *אֶגְדָּרְךָ יְיָ* *אֶגְדָּרְךָ יְיָ*, aoristus primus passivus *אֶגְדָּרְךָ יְיָ* non restringitur ad præcedens, & sequens præsens; Sic quoque nihil obstantibus præcedente *אֶגְדָּרְךָ יְיָ* & sequente *אֶגְדָּרְךָ יְיָ* præsentibus *אֶגְדָּרְךָ יְיָ* *Ich. 8.* reddi potest per *Erat. 2.* Scripturarum sacrarum Interpretes non tam ad criticas Grammaticorum notas, suo loco optimas, semper astricti sunt, quàm ad cohærentiam; Quapropter & data à nostratibus interpretatio eandem potius respicit, ita ut in ipsis textus visceribus resideat. 3. Posito, aoristum vertendum esse per præsens, num autem statim sequitur, de Christi præexistentia nihil reperiri in textu? num statim historia de mutatione nominis Abrahami, aut tale quid simile erit in Johanne? Minimè; Certò cerrius nihil ibi est aliud, nihilq; aliud quilibet orthodoxus reperiet, quàm pro Christi ante nativitatem in tempore præexistentiâ argumentum, quod modò elicuimus, fortissimum. Torqueant interim sese adversarij, & vel omnes Grammaticorum notas anxie satis conquirant.

Instantia
1. de voce
Sum.

LX. Instant 1. Si de Abrahamo patre V. T. sermo esset, dixisset Christus: Antequam Abraham fieret, Ego Fui; Quia autem dicit Ego Sum; Argumentum suppeditat de verbis non ratione veteris Abrahami intelligendis.

*Resp. 1. Sicuti de DEO Psal. 90, 2. non dicitur: Antequam montes facti sunt, tu fuisti; sed tu es; Ita Christus de sua divinitate consimiliter dicere potest; antequam Abraham erat, Ego sum; nec opus est, ut dicat, Ego fui, cum personis divinis nihil sit præteritum, aut futurum; sed omnia præsentissima. 2. Nihil derogat præsens Sum genuino sensui; licet Photiniani eum non assequantur. Assecuti tamen sunt Judæi, ideoque Christum lapidibus petierunt; Assequuntur etiam genuinum sensum Christiani; Et sanè, etiamsi illa Adversarijs rumpantur: sicuti in verbis *Gen. 1, 1.* *אֵלֹהִים בְּרָא* *אֵלֹהִים בְּרָא* mysterium S. S. Trinitatis;*

Trinitatis; Sic hoc in loco ipsissimum Dei testimonium agnos-
scimus, quod sit αὐτὸς ὢν, & gaudeat per præsens in scripturis sa-
cris suam nobis revelare essentiam.

LXI. Instant. 2. De Abrahamo non potest esse sermo, quia sit men- Instant. 2.
tio exultationis, quæ de Abrahamo non potest demonstrari; Imò ad de Exulta-
dunt: verba v. 56. Ἀβραὰμ ἠγάλλετο ὡς ἴδῃ τὸν υἱὸν ἡμετέραν, ita tione A-
esse reddenda: Abraham exultasset, ut videret; quasi non affectivè, brabami.
sed hypotheticè, Christus locutus esset; Hoc scilicet volunt:
Christum cum Iudæis de sua auctoritate litigasse, & ὁπρὸς ἡμᾶς con-
tra illos egisse hoc modo: Abraham pater vester (qui longè majoris
fuit auctoritatis quàm vos) exultasset, ut videret, & (pergunt in-
terpretando, proq; vidit, & gavisus est; substituunt) vidisset (si adhuc
esset in vivis,) & gavisus fuisset.

Repl. Duo hæc instantiâ afferuntur expedienda, 1. An historia
de exultatione Abrahami hic vera sit assertio, an verò nuda hypothesis.
2. An versio Photiniana v. 56. c. 8. Iohannis melior sit vulgatâ.

In exultatione Abrahami hypothesein agnoscunt Adversarij,
& sic concludere videntur: Si Abrahami exultatio non potest
demonstrari ex Vet. T. tutius ea habetur pro hypothesis, quàm pro vera
assertione; Sed verum prius. Ergo erit posterius.

Resolvimus hypothesein in discursum Categoricalum, crit-
talis:

Quodcunq; in Christi allegationibus non potest edoceri ex V. T. illud
habeatur pro hypothesis, & non pro vera assertione.

Abrahami exultatio non potest verificari ex V. T. Ergo.

Quanti ponderis discursus hic sit, videbimus; Responde-
mus autem 1. per instantiam, ex ipsâ Photiniana hypothesis,
quæ est; Christum novum Legislatorem inulta addidisse præ-
ceptis DEI in N. T. Subsumimus ex dictâ hypothesis sub Ma-
jore:

Multa Christi additamenta Matth. 5. 6. 8. non possunt verifi- N. T. Vete-
cari ex V. T. Ergo non habeantur pro vera assertione. ris quidem

Vix hoc cum concedent Adversarij, videant ipsi, quàm lubri- est comple-
ci sint. Qui vel obiter N. T. pagellas vidit, eundem latere mentû, &
minimè potest, multa præsertim historica esse allegata, quæ vetus Novus
verbotenus ex V. T. à nostratibus deduci nequeunt: Unde de- est funda-
ducantur- mentum;

Multa ta- ducantur de Christo illa Matthæi verba : *Nazaræus vocabitur,*
men sunt Matth. 2. v. ult. Unde allegat Christus verbotenus Luc. 3. 4. de-
in N. qua cem, & octo, supra quos cecidit turris in Siloa? Ubi agitur de certa-
in V. lite- mine super corpore Moſis, cujus fit mentio Iud. epl. v. 9. Ergone hæc
valiter nõ partim ipsius Christi, partim Apostolorum Verba & allegata
extant. statim pro nuda hypothefi, & non pro vera assertione histo-
rica habenda? Minimè. Credunt ea Christiani firmiter, nihil
V. T. silentium obſtat, Christus, & Apostoli nobis ſufficiunt:
Nec etiam hincinde V. T. aliquam imperfectionis notam me-
retur: Perfectiſſimum enim eſt formaliter, hoc eſt, perfectiſ-
ſimè viam ſalutis habemus etiam in V. T. commonſtratam;
hitoriatum quarundam ignoratio nihil efficit. Sicuti ergo
alia Christo allegante, fidem maximè merentur; Ita idem quo-
que de historia exultationis Abrahamiticæ ſentiendum erit.
Atque ſic negatur Major. 3. Judæi haud aliter quam affer-
tjvè Christi verba acceperunt. Inde enim enata eſt quaſtio
v. ſeq. 57, *Quinquaginta annos nondum habes, & Abraham vidisti?*
Vidisti, inquit, eodem tempore, modo & numero, quo di-
xit Christus: *Abraham diem meum vidit.* Quod ergo Judæi in
Christi verbis aſſecuti ſunt, illud aſſequi dubio procul po-
tuiſſent Adverſarij; niſi genuinum textus ſenſum ſupprime-
re maluiffent; Primum hoc.

Secundò, pro verſione, & interpretatione vulgata verbo-
rum de exultatione Abrahami ſic argumentamur:

Quæ verſio fontes, & nativam verborum ſequitur ſignificatio-
nem illa eſt optima: Noſtra talis eſt, ſiquidem ne latum unguem
noſtros à litera recedere unusquiſq; textum inſpiciens confi-
teri neceſſum habebit; nec negant Adverſarij. Ergo. Contra
Photiniani fontes deſerunt, illisq; *ἠγαλλίασεν* non exultavit;
ſed exultaviſſet; eide non vidit; ſed vidiffet; ἔχαρει, non gaviſus
eſt; ſed gaviſus eſſet ſignificat; unde contorta eorundem inte-
pretatio cenſetur jure merito; quam & contortam eſſe nega-
re haud poterunt, licet omnes vel Græcorum vel Hebræorum
cuniculos perreptent. Adde, quòd, dum verba Christi in ea,
quæ præ ſe ferunt, ſignificatione accipi non poſſe ſtatuant;
Christum in verbis ſuis obſcurum haud obſcurè proclamitent.
Instant. 3. LXII, Verùm Instant. 3. Christi morem fuiſſe, homines improbos
ſuis

suū sermonibus quasi intricare, & ambiguis interdum locutionibus detinere. Noli respondere esse petitionem principii, probant; & Job. 6. Christum Capernaitis de carnis manducatione, & sanguinis bibitione concionantem, eandem præ se ferre ambiguitatem autumant.

Resp. Paulus hic responderet: Increpet te DEUS Satan, qui talia non erubescis spargere de Christo, in cujus tamen ore non est inventus dolus. 1. Pet. 2, 22. Christus à Deo nobis audiendus præcipitur, Ergone credendum, eundem, ut ambiguis sermonibus intricaret, missum? E sinu Patris Christus annunciat Evangelium, hoc est, Dei verbum. Verbum autem Dei veritas est; Quæ verò ibi veritas, ubi nil nisi in verbis est ambiguitas. Valeant ergo Photiniani, & abeant putido, & suo plusquam impio asserto. De 6. Johannis capite nullas sibi ambiguitates fingunt Christiani; sed ibidem de spiritali esu & usu corporis & sanguinis Christi sermonem esse, tam norunt, quam suo s digitos. Et hæc trias est demonstrationum in primo membro prima.

Resp.

MEMBRUM II.

Quòd Christus juxta suam in V. T. præexistentiam increatus sit.

LXIII. λόγον in Johannis Evangelio significare personam, quæ aliàs Filius DEI dicitur, concedunt, (an lubenter, dubito,) & vetus ille Arius, & Ariani novi, qui malunt dici Photiniani. Verùm in modo concedendi differunt; Photiniani moderni Christum ante nativitatem ex Marià minimè extitisse; λόγον autem dictum esse ideò, quia sese strenuum oratorem, & diæ voluntatis annunciatorem gesserit, asserunt.

De λόγον
sententia
Photinia-
norum.

Arius verò λόγον Filium Dei non demum in N. T. cœpisse; sed etiam in principio creationis extitisse statuit, siquidem finxit, & docuit; Deum Patrem solum verum Deum, postquam de creandis hominibus, & lapsis per Christum restituendis decretum fecisset, creasse spiritum quendam rationalem, eundemq; ante visibilis hujus mundi productionem multis virtutibus exornasse, & huic tanquam nobilissimo operi suo nomen Filij Dei imposuisse, ac postmodum per hunc omnia in tempore condidisse.

Sententia
Arij.

LXIV.

LXIV. Nos modo præexistenciam Christi in V. T. ante nativitatē ex Maria demonstravimus; Ne ergo jam præexistenciam illam cum Ario creatam statuere videamur, progrediendum nobis, Christumq; ratione illius præexistenciæ increatum esse demonstrandum venit; Hoc etenim probato iterum tuto pro Christi æterna Deitate concludere possumus.

LXV. Sylloge syllogistica priora duo membra ita proponit:
Quicumq; natus N. T. tempore 1. præexit in V. T. 2. juxta illam præexistenciam est increatus: ille est æternus DEUS. De Christo vera Minor. Ergo.

De priori egimus hætenus: De secundo jam ita dicimus:
Qui juxta præexistenciam suam in V. ante nativitatē in N. T. 1. facit opera soli creatori DEO propria. 2. Primogenitus talis omnis creaturæ est, per quem omnia facta sunt. Et 3. expressè cælum, & terram creasse dicitur; Ille est increatus.

Christus juxta præexistenciam suam in V. ante nativitatē in N. T. 1. facit opera soli creatori DEO propria. 2. Primogenitus talis omnis creaturæ est, per quem omnia facta sunt. Et 3. Expressè cælum, & terram creasse dicitur.

Ergo Christus juxta suam præexistenciam est increatus.

Minor trimembris tres demonstrationes suppeditat.

Demonstratio prima,

LXVI. Primam demonstrationem abundè subjicit locus Gen. 48, 15, 16. Qui ita habet:

DEUS in cujus conspectu ambularunt patres mei Abraham, & Isaac, DEUS qui pascit me ab adolescentia mea usq; in presentem diem, Angelus qui eruit me de cunctis malis, benedicat pueris istis, & invocetur super eos nomen meum, nominaq; patrum meorum Abraham, & Isaac, & crescant in multitudinem super terram.

Ex hisce, Angelum à Jacobo invocatum, Christum scilicet, creationis expertem esse, educimus hoc modo:

Liberans Iacobum ab omnibus malis, & benedicens posteris ejus benedictione verè divina facit opera soli creatori DEO propria.

Angelus qui eduxit Israelitas, seu Christus juxta suam præexistenciam Iacobum ab omnibus malis liberat, posterisq; ejus benedictione verè divina benedicit.

Ergo

Ergo opera Creatoris efficit, & per consequens Creator est increatus.

Majoris ratio hæc est; quia liberare ab omnibus malis, & benedicere benedictione verè divina, est omnipotenter agere, & operari; Quis autem præter Deum omnipotens? Minor est in verbis Jacobi expressis hæc: *Angelus, qui eripuit me &c.* Et quòd petita à Jacobo benedictio verè divina sit; nemo dubitabit, qui ejus effecta, quæ sunt, *vocari nomine patrum*, id est, recipi in foedus, & in promissæ terræ possessionem, Et crescere, *vel augeri in multitudinem*; seu ut in fontibus est, instar piscium; diligentius apud animum perpendet. Stat ergò conclusio.

LXVII. Ex abundanti annotabimus. quòd omninò Jacobus peculiarem notat Angelum. 2. Quod Bona, quæ Jacobus recenset, tam Angelo, quam Deo ascribantur. Hæc ipsa etenim non parùm quoque nos confirmabunt, quòd Angelus increatus à Jacobo intelligatur; & consequenter, quod Christus sit æternus Deus.

LXVIII. Quod Jacobi Angelus minimè vulgaris sit, documenta sunt, 1. in ipso textu. 2. in aliis scripturæ locis. In ipso textu tria cum primis sunt:

1. Angelus ille adjungitur Deo, vel potius ipse Deus Abrahamo est; Verba Jacobi sunt: *Deus in cujus conspectu ambulaverunt Patres mei, Abraham & Isaac; Deus qui pavit me à juventute mea; Angelus, qui eripit me ab omnibus malis benedicat. &c.* Subjectum hic habes tribus modis enunciatum, & quidem tale quod consensu totius scripturæ Christo convenit. Christum esse illum, in cujus conspectu Patres, Abraham, Isaac &c. ambulaverunt, sufficienter ex primi membri prima demonstratione constat; Quando Jacobus Deum Pastorem nominat, alludit ad nomen Pastoris, quo non infrequenter Christus insignitus, Vide *Psal. 23, 1. 2. Esa. 40, 11. Ezech. 34, 11. seq. Joh. 10, 12.* Christum esse Angelum, qui præfuit Jacobo, & Israëlitis, itidem ex suprà d. l. dictis patet. Subjectum itaque affertur, hoc loco, Christo per omnia competens, in quo Christus sive Angelus non modo Deo adjungitur; sed ipse potius Deus est: Dubitas? Intuere prædicatū; Unicum illud est: *Deus in cujus conspectu ambulave-*

E

runt

runt patres mei *benedicat*; Deus pastor meus *benedicat*, Angelus liberator *benedicat*; Et ita quidem unicum est, ut creaturis minime competat; consule benedictionis contenta. Quidam hinc concludamus, Angelum illum, de quo hoc modo sermo est, plane peculiarem, minime e creatorum angelorum numero; sed increatum esse? Accedit, quod Jacobus dicendo: Angelus *benedicat*; Angelum invocat, id quod soli Deo convenit *Matth. 4, 10. Deut. 6, 16.*

2. Jacobus nominat Angelum, non Angelos; Angelus, inquit, non Angeli, nec nudum vocat Angelum, sed addito $\overline{\text{N}}$ emphatico, id quod iterum haud vulgaris angeli indicium.

3. Angelus hic non ipse solum cum emphasi nominatur, sed & epitheton emphaticum habet: dicitur enim $\overline{\text{N}}$. Unde quid colligi possit, haud obscurum. Nihil dicam, quod officium nomine $\overline{\text{N}}$ notatum soli Christo Filio Dei competat, eidemque multoties in sacris assignatum legatur utpote *Esa. 49, 20. Gal. 3, 13. 1. Pet. 1, 15. & alibi.* Hæc ex textu.

Ex alijs scripturæ sacræ locis facile, quod Gen. 48. increatus invocetur Angelus, potest fieri iudicium; siquidem nullibi sanctos Dei homines posteris suis benedictionem ab Angelo creato optasse, & orasse legitur, quod unum. Quando a. omnino aliquis, bonum aliquod ab Angelis sibi præstare voluit, non immediatè illud ab Angelis; sed a Deo petitum esse deprehendimus. Consule *Tob. 5, 29.* ubi verba hæc: *Deus sit in itinere vestro, & Angelus ejus eomitetur vobiscum*: Nota, ad Deum Tobias senior votum dirigit, & a Deo Angelum comitem petit. Sic *Psal. 91, 11.* tribuitur quidem custodia angelis; sed ex Dei mandato: Num verò Patriarcham Jacobum jam ante mortem prophetica gratia instructum hoc latuisse, eundemque in fidei analogiam impegisse putemus? Absit.

Quotupli-
cia bona
Iacobo
prestita.

LXIX. Bona Jacobo præstita duplicia sunt, $\sigma\epsilon\rho\eta\tau\iota\kappa\acute{\alpha}$, $\eta\gamma\iota$ $\text{I}\epsilon\lambda\upsilon\alpha$, Privativa, & Positiva: Illa sunt mala, à quibus liberatur, vel si mavis; sunt ipsa à malis liberatio. Hæc sunt bona quibus cumulatur; Ultraque tam Angelo, quam ipsi Deo accepta referri ita ostendimus:

Malum

Malum famū à Iacobo avertit

DEUS

Quia pascit eum ab adole-
scentia sua usq; ad diem mor-
tis Gen. 48, 15.

Angelus

Quia eripit eum de cunctis
malis Gen. 48, 15.

In fugā propter Esavi insidias,

DEUS

Quia discedenti à parenti-
bus in Bethel apparuit in so-
mnis, stans in scalā, & post pro-
missiones alias dixit: Ero cu-
stos tuus quocunq; perrexeris
& reducam te in terram hanc,
Gen. 28, 13. 14. 15. Gen. 35. 1.

mala à Iacobo avertit

Angelus

1. Quia discedenti à parentibus
in Bethel in scalā apparuit;
Unde Ose, 12, 4. dicitur: In Be-
thel invenit eum, (scil. Ange-
lū, quem pronomen respicit.)
2. Quia eruit eum de cunctis
malis Gen. 48, 15.

Ne Laban persequens noceret Iacobo

fugienti avertit

DEUS

Quia videt Laban in somnis,
dicentem sibi Dominum: *Ca-
ve ne quicquam asperè loquaris cō-
tra Iacobum. Gen. 31, 24. Vide
etiam sequentia capitis.*

Angelus

1. Quia est ille, qui in Bethel
Iacobo promisit: *Ero custos tu-
us, quocunq; perrexeris, & redu-
cam te &c. Confer, Ose. 12, 4. &
Gen. 28, 13. 14. 15.*
2. Quia eruit eum de cunctis
malis. d. l.

*Ne damnum Iacob pateretur propter Siche-
mitas à filijs occisos avertit*

DEUS

Quia suavit discessum: *Surge &
ascende in Bethel. & habita ibi,
&c. Gen. 35. 1.*

Angelus

Quia eruit eum de cunctis
malis d. l.

procul dubio,

(ut taceamus mala alia quamplurima)

Ne Esau persequeretur Iacobum fugientem,

Ne idem malè exciperet Iacobum redeuntem,

DEUS

Quia promisit Iacobo: *Ero
custos tuus &c. Gen. 28. 15.*

avertit

Angelus

Quia idem promisit, Confer
Ose. d. l. cum Gen. d. l.

Sic:

DEUS

Promisit Abrabamo, & semi-
ni ejus terram, & effecit ut in
Jacobi filijs nominaretur Pa-
trum nomen, h. e.; participes
Foederis haberent partes in
terrae promissae distributione.

Angelus

Idem prestare valet & presti-
tit; Quapropter spiritu ple-
nus Jacobus dicit: *Angelus be-
nedicat pueris istis. & vocetur su-
per illos nomen Patrum meorum.*

DEUS

Creator & autor est hominum
generis, potestque solus illud
multiplicare instar piscium.

Angelus

Idem praestat, unde ab eo pe-
tit Patriarcha: ut crescant fi-
lij in multitudinem.

Ex hac delineatione bona Jacobo praestita una & DEO
& Angelo accepta referri patet, & exinde etiam liquet, quan-
tus, qualisque sit Angelus, qui Deo per omnia est similis, mini-
mè videlicet creatus: sed certò increatus, & creatorum Ange-
lorum omnium Dominus.

LXX. Atque hæc prima pro secundo membro est demon-
stratio, quòd *Christus creationis expers sit*: Perge jam: *Qui increa-
tus est, ille est aternus Deus*: De Christo subsume, & conclude
sicuti supra. Exceptiones.

Exceptio.

LXXI. Excipiunt Adversarij: *Angelum opera illa magna non
ex sua natura efficere; sed quia personam Iehova gerat, hoc est, DEI
legatus sit.* Alius hanc instantiam hoc modo allatam ex ob-
tusa mente profectam, & insulsam judicat, eamque proponit
tali formâ: *Actionem jam DEO, jam Angelo tribui: Deo tanquam
autori primo: Angelo tanquam ministro personam Dei gerenti.*

Examen.

Resp. Videntur ipsi inter se nihil reprehendere aliud, quàm
verborum discrepantiam; In re enim conveniunt: Ne tamen
quid prætermittamus *κατὰ πρόδα* sequemur utramque exceptio-
nis formulam visuri.

Angelis
non possunt
tribui ope-
ra soli Deo
propria.

Prima est: Angelum potenter operari, quia ut Legatus Dei
magnâ sit instructus potentia.

Resp. 1. Deum opera sibi Propria communicare creaturæ,
probetur. 2. Assertum non videtur carere impietati; Impi-
um est gloriam Dei attribuere creaturæ, quando quidem ipse
Deus se hoc facturum negat. *Esa. 42, 8.* Annon verò hoc esset
gloriam

gloriam Dei attribuisse creaturæ; si ex illorum sententia Angelus creatus opera illa magna, soli Deo propria effecisset. 3. Posito, Angelo virtutem Dei communicari posse; sed minime concessio, num autem statim exinde sequatur, Angelum esse invocandum? nullatenus; Solus Deus invocandus, & adorandus. *Matth. 4, 10. Deut. 6, 16.* Angeli adorationis cultum ipsi sibi detrectant, *Apoc. 19, 10. cap. 22, 9.* Sic ergo ex adversariorum sententia Patriarcha Jacobus esset ἀγγελόδουλος; quem tamen, utpotè Domini spiritu repletum, & summo Propheticæ gratiæ dono ornatum, pijtalem judicare nequeunt. Quapropter 4. potius ex invocatione Jacobi de Angeli singularitate judicare discamus; hoc argumento: *Qui à viro Spiritu S. pleno religiosè invocatur immediate, ille minime erit vulgaris, sed increatus Angelus.* Aliàs etenim angelis aliquid ex mandato Dei sive boni, sive mali conferentibus supplicationes non ad ipsos Angelos; sed ad Deum solum diriguntur. *Deus sit in itinere vestro, & angelus ejus comitetur vobiscum. Tob. 5, 29.* David videns percutientem Angelum, inquit; (non ad Angelum: sed ad Jehovam.) *ô Jehova Deus mi, quæso sit manus tua in me, & non in populum meum. 2. Sam. 24, 16.* Angelus ille Jacobi liberator, Christus à Iacobo Spiritu S. pleno religiosè invocatur. Ergo.

Altera exceptionis forma est: Eadem actio jam ascribitur Deo auctori primo; jam Angelo ministro.

Resp. 1. Negatur minime Angelos administratorios Spiritus Est n. *Psal. 104, 4.* Verùm Angelum aliquem ita personam Dei gerere ut cum eo uno cultu afficiatur, hoc negatur. 2. Specialim Angelum, de quo *Gen. 48.* ministrum esse concedi nequit partim, quia Patriarchæ obstat invocatio; partim ut taceamus alia, quia Angelus hic semetipsum *Exod. 3, 15.* ita describit; quod sit *DEUS Patrum, Deus Abraham, Deus Isaac, & Deus Jacob.* His obstantibus nullum est, quod Adversarii contra increatum Angelum in Angelorum ministerio quærunt effugium.

LXXII. Instant. 2. *Si hominibus cum Deo idem potest tribui, quibus etiam Angelis, utpote qui potentiores sunt hominibus: At verum prius. Ergo. Probant: Moses, Othoniel, & alij, qui viam salutis docent, servare dicuntur; cum tamen Deus servet.*

E 3

Resp.

Resp. Et hominum agnoscimus ministerium, & Angelos potentiores esse hominibus libenter damus. Verum ἀνοητοὶ hæc quid contra Angelum increatum, quem talem in præcedentibus sufficienter demonstravimus?

Demonstratio secunda.

LXXIII. Christum, vel Angelum illum magnum juxta præexistentiam suam primogenitum talem omnis creaturæ esse, per quem omnia sunt facta demonstramus ex Col. 1, 15, 16. *Christus est πρωτότοκος, primogenitus omnis creaturæ, quod per illum, ex quo creata sunt omnia, quæ in cælis sunt, & quæ in terra τὰ ἀόρατα, καὶ ὄρατα, visibilia, & invisibilia, throni, dominationes, sive principatus: sive potestates, omnia, per illum, & in illum creata sunt.* Exinde enim hæc fluit ὑπόδειξις:

Qui ita est primogenitus omnis creaturæ, ut per illum omnia creata sint &c. ille est creator; & increatus.

Christus talis. Ergo.

Exceptio-
nes Photi-
nianorum
quæ?

LXXIV. Conjungimus hæc quia de vocabulo primogeniti excipiunt, quod & ille sit in fratrum numero: Verum hæc omnia in fumum abeunt; quando Christus, talis dicitur primogenitus, per quem omnia facta sunt.

LXXV. Nec locum habet *exceptio*, quam ponunt in creationis distinctione, quasi ab Apostolo intelligeretur talis, quæ esset reparatio hominum per concionem verbi. Dum enim per Christum omnia in cælis etiam, & invisibilia creata dicuntur; Angeli autem per concionem verbi restaurati non sint, exceptionis hujus nullitas cuivis apparet. Et de hac nimis clara demonstratione tantum.

Demonstratio tertia.

LXXVI. Quod Christus expressè cælum, & terram creasse dicatur, probamus hoc modo:

De quo loquitur primum caput Epistolæ ad Hebræos, de eodem expressè dicitur quod creaverit cælum & terram,

Atqui de Christo dictum caput loquitur. Ergo.

Minorem textus probat. Ad Christum ergo pertinent hæc verba ex Psal. 102, 26. Tu initio Domine terra fundamenta fecisti, & opera manuum tuarum cæli sunt.

LXXVII.

LXXVII. Et hac textuali demonstratione iterum una solvuntur objectiones, quas alias ex particulis *Ne, eis &c* formant, dicentes *non intelligi causam efficientem principalem, sed potius instrumentum.* Opponantur verba hæc Apostolica satis clara; & sic nemo nisi præfractè scripturam sacram oppugnans, dubitandi materiam amplius habebit.

LXXVIII. Atque hæc quoque secundum nostri prosyllogismi membrum absolvunt; Concludimus uti hæctenus sæpius:

Qui natus Nov. Test. tempore præexistit in Vet. Test. juxta illam præexistentiam est increatus, ille est aternus DEUS. Christum talem demonstravimus, Ergo.

MEMBRUM III.

De notis aternitatis, quas Christus in sacris habet.

LXXIX. De aternitate Christi jam auctori duo præmonenda censemus. 1. In quibus aternitatis Jesu fundamentum poni debeat non tantum? 2. Quomodo aternitas Christi investiganda sit?

LXXX. Fundamentum poni non debet in uno atq; altero vocabulo solo; siquidem nullum datur, quod *absolutam aternitatem* per se notet; hoc est; talem, in qua neque initium, neque finis sit.

LXXXI. Tria cum primis apud Hebræos sunt, quæ citari solent, *אין עולם* & *אין תכלית*. In quibus aliquod putatur hæere præsidium. Verum, ut nihil dicam, quod *אין עולם* cum *אין* sive *sine* scribatur, interdum tantum tempus continuum, longum quidem, initio tamen, & sine non destitutum significet; certum hoc; licet dicta vocabula quibusdam in locis ita reperiuntur posita, ut omnem excludant finem, non tamen omne negant initium. Quia ergo nos talem quærimus aternitatem, in qua nulla planè datur extremitas: ideò allegata vocabula nostro de Christo negotio non sufficiunt.

Neq; in Hebræa neque in Græca lingua ullum extat, vocabulum, absolutam aternitatem significans.

LXXXII.

LXXXII. Græci utuntur vocabulo αἰὼν αἰώνων: Sed nec hoc æternitatem ubique interminatam significat, uti rectè annotant Philosophi; Quapropter & ævo non Deum; sed Angelos, & animas hominum, in quibus omnibus finis quidem non spectatur, certum tamen adest initium, subjiciunt.

LXXXIII. Apud Latinos vocabulum *Æternitatis* eâ quidem notione interdum accipitur; Sed neque hæc acceptio est universalis. Et etiam si unus vel alter locus allegari, præsertim è prophanis authoribus posset: in confirmatione tamen non posset certum ibidem reperiri subsidium, cum adversarii ex collatione particularitatem inferant. Quapropter firmum, ut diximus fundamentum in nudis vocabulis per se poni nequit.

Vera investiganda æternitatis Christi ratio. LXXXIV. Quod si ergò non nudis inhæreamus vocabulis, alia ratio investigandæ æternitatis Christi inquirenda erit: quæ melior sequenti vix esse poterit: Nimirùm investigaturus æternitatem Jesu videat; *An loca illa, quibus DEI æternitas describitur, Christo etiam competant, & in sacris tribuantur.* Hoc enim reperto de æternitate Jesu possumus esse certissimi.

LXXXV. Hunc investigandæ æternitatis Jesu modum observaturi majoris evidentiaæ causâ præmittimus hunc Syllogismum:

Cui omnes æternitatis DEI descriptiones in sacris tribuuntur, is expressas æternitatis notas habet, & per consequens æternus DEUS est.

Christo omnes æternitatis DEI descriptiones in sacris tribuuntur.

Ergo expressas æternitatis notas habet, & consequenter æternus DEUS est.

Minor in oculari demonstratione consistit.

LXXXVI. Et quidem magnum hîc cumulare possemus dictorum sacrorum catalogum; Sed, ne obruamur multitudine, placet ea saltem in quibus evidenter de *absoluta æternitate*, & non tantùm de *duratione infinita* sermo est, annotare. Ordinis gratiâ tres etiam hoc in membro constituimus *videlicet*.

Apodi-

Apodixis prima.

LXXVII. De DEO dicitur: Numerus annorum DEI inestimabilis Job, 36, 26. De CHRISTO: Egressus ejus ab initio à diebus æternitatis. Mich. 5, 2. & Esa. 9, 6. æternitatis appellatur Pater. Dicta hæc nonnihil quidem differunt, quia Jobus tantum de æternitate agit; eamque negativè astruit: Micheas verò habet & æternitatem, & egressum ab æternitate positivè & affirmativè: Alias optimè ratione æternitatis conspirant; & se invicem consequuntur:

Cujus annorum numerus est inestimabilis, ille ab initio, à diebus seculi, & æternitatis pater est.

DEI annorum numerus inestimabilis est: Ergo. Sic:

Qui ab initio à diebus seculi, & pater æternitatis est, illius annorum numerus est inestimabilis.

Christus ab initio, à diebus seculi, & pater æternitatis est, Ergo,

Et ulterius: Cujus annorum numerus inestimabilis est, is ut æternus describitur, expressas æternitatis notas habet, & æternus Deus est: De Christo subsume.

Ergo Christus expressas æternitatis notas habet; & æternus Deus est.

Exceptiones.

LXXXIIX. Adversarij in loco Micheæ tum ratione egressus, tum ratione æternitatis excipiunt: Verum ne extra limites vagemur; hinc solum eos ratione æternitatis audiemus. Dicunt ergo: *Verba ab initio à diebus æternitatis, non æternitatem propriè dictam; sed dies antiquos innuere, ut sensus sit: Messiam egressurum, hoc est, originem nativitatis suæ ducturum esse à stirpe, & familia Davidis, cujus dies sunt antiqui, hoc est, quæ jam ante Christum diebus æternitatis?*

Resp. 1. Davidis stirpem, quæ ante Christum fuit, verbis; ab initio, & à diebus seculi; innui sine probatione, non videmus; 2. Nec hoc modo stirpis alicujus descriptionem extare meminimus. 3. Ex Davidis stirpe quidem Messias oriundus prædicatur; sed non solum; Refertur ortus ejus etiam ad Patres antiquiores; Consule genealogiam Christi Matth. 1. Luc. 3. Quapropter si verbis, ab initio &c. respectus haberetur ad aliquam familiam, non Davidis, quæ nativitati Christi proxima; sed

*Juxta scri-
pturam.* alia & antiquior intelligeretur; 4. Locum Propheticum sine
ratione eludere conantur Adversarii; At melius eundem de æ-
ternitate Jesu accipimus, ex hac ratione, quia verba ab initio, &
diebus seculi, sive à seculo de eternitate Dei in sacris trita sunt; Ergo
certissimum eterni- tatis Christi erunt indicium, Liqueat hoc cum
primis ex Dan. 4, 31. viventem seculi laudavi. Ps. 90. 2. à seculo in se-
culum tu es DEUS. 5. Si maximè verba ab initio familiam an-
tiquiorem notarent; quid tamen aliud, quàm Christum ante
nativitatem extitisse astrueretur? quia non dicitur, quòd Chri-
stus originem ducturus, aut egressurus sit; sed quòd eius e-
gressiones sint à diebus seculi. Qui autem nondum est, ille nec e-
gredi potest.

LXXXIX. Excipiunt: Esa, 9, 6 Patrem eternitatis non nota-
re Christum, quasi ab æterno existeret, sed quod sit vitæ æternæ da-
tor.

*Christus
quomodo
Pater
eternita-
tis dica-
tur?*

Resp. 1. In nudo æternitatis vocabulo per se subsidium
non quærimus: Sed, quòd Christus pater æternitatis dicitur,
hoc putamus sat emphaticè dictum. 2. Esto Christum esse
datorem vitæ æternæ: si est, utique etiam erit Deus, utique
etiam erit æternus, quia Deus æternus est, & qui æternus
Deus est, ille solus dator vitæ æternæ creditur.

Apodixis secunda.

XCI. De DEO dicitur. Esa. 43. 11. Ante me non est forma-
matus DEUS, & post me non erit. Esa. 48, 13. Ego primus, & ego
novissimus; De Christo dicitur: Ego sum a & ω, principium, &
finis, primus & novissimus Apoc. 1, 8. 11. 6. 21, 6. 6. 22, 13. Ex hisce si-
ne fusiori ἐξηνείκη, quâ non opus, ita concludo:

Qui eodem modo describitur, quo æternus Deus, is eternitatis ex-
pressas habet notas & æternus est.

Christus eodem modo describitur, uti patet. Ergo

XCI. Apocalypseos autem verba ipsius esse Christi, & de solo
Christo intelligenda tum mutua ostendit collatio, tum indi-
vulsa textus eohæsiō.

Apodixis tertia.

XCII. De DEO dicitur: Psal. 90, 2. Priusquam montes fie-
rent,

vent, aut formaretur terra, & orbis, à seculo, & in seculum tu es.
De CHRISTO idem dicitur, & quidem verbis majorem
æternitatis exegesis inferentibus. 1. Hebr. 1, 8. ex Psal. 45, 7. ad
Christum hæc transferuntur: *Thronus tuus, ô DEUS, in seculum
seculi.* 2. Prov. 1. à v. 21. usque ad 32. de Christo, qui per sa-
pientiam ibidem loquentem intelligitur, leguntur plura, quæ
ita inchoantur: *Dominus possedit me in initio viarum suarum, an-
tequam quicquam fecerat à principio, ab eterno ordinata sum, & ex
antiquis, antequam terra fieret, &c.* En tibi in hisce, & in seqq.
æternitatis Jesu exegesis sacram!

XCIII. Et ne per Sapienciam Christum intelligi dubites, pro. *Per sapi-
bamus: Aut Salomon agit de Sapiencia absolute considerata prout entiam à
est qualitas, aut per Sapienciam intelligit personam. Sed prius non est; Salomone
Erit itaq; posterius.* Ratio est, quia personæ proprietates eidem Christum
ubique fermè assignat. Hoc quidem lubenter damus, quod *intelligi
sape per prosopopæiam introducat sapienciam absolute con-
sideratam; Sed principaliter Christus loquitur, persona Fi-
lij DEI; Sicut enim Iohan. 1, 3. quod per ipsum omnia facta sint,
vide & Col. 1, 16. Et sicuti Heb. 1, 10. hæc ad Christum extat
ω̄γ̄σ̄ φ̄ων̄ος: Tu initio fundasti terram &c.* Ita allegato loco
iple Filius Dei idem de se enunciat verbis, non uno, sed mul-
tis.

XCIV. Cur per sapienciam Christus intelligatur? Scire deside-
ras: Respondet Apostolus: *Christus à Deo nobis factus est Sapien-
tia, 1. Cor. 1, 30.* Et quære quisnam aliàs in sacris abstractè vo-
cetur *Sapiencia*; Neminem certè præter Christum invenies, ne-
minem ergo præter Christum *l. d.* intelligere poteris, cum
persona necessariò ibidem intelligenda veniat.

XCv. Atque sic quoque tertium Syllogismi principalis gra-
dum absolvimus. Possemus subsistere, cum Adversarii nihil
magis efflagitent; quam ut æternitas probetur: Verùm
ne quid desit, insuper Deitatem quoq; expressis
textibus exhibebimus.

MEMBRUM IV.

De Nominibus expressè Divinitatem

Christi arguentibus.

XCVI. Tria sunt cum primis nomina Divinitatem Christi certò arguentia, ad quæ cœtera omnia, quæ occurrunt referri possunt; Sunt autem hæc: *Filius DEI, Deus, Iehova*, Ex quibus tale elicimus porisma:

Qui vocatur DEI Filius, Deus, Iehova, is nominibus expressè Deitatem arguentibus insignitur. Subsumimus:

Christus vocatur DEI Filius; Deus, Iehova. Ergo. Minor tria illa nomina continens tres eadem demonstrationes postulat.

DE NOMINE FILII DEI,

quod Christo tribuitur.

XCVII. Quod autem *Christus Filius DEI* sit, & vocetur Novi Testamenti Lectores latere minimè potest. Nolumus multa cumulare, omnium instar testimoniorum audiemus saltem genuinam Petri de Christo confessionem, quæ est *Matth. 16, 16*. Variæ erant de Christo in terris visibiliter obambulante opiniones, modò Johannes Baptista, modò Elias, modò Hieremias, modò unus de Prophetarum censeretur numero: Dissidentibus ergo hoc modo hominibus, Petri discipulorum nomine, sententiam flagitat Dominus; Ille itaque totus in eo, ut postulato Præceptoris satisfaciat, ita loquitur: *Tu es Filius Dei* viventis. Et hæc confessio tum à Domino approbatur, tum ut verè fundamentalis commendatur.

XCVIII. Confessionis verba clarissima, & intellectu facilissima sunt; Ex abundantia tamen ea non nihil altiùs considerasse videtur operæ præcium. Duo autem cum primis pro genuino illorum intellectu notari possunt: 1. *Quid filius proprie, sive apud homines, sive apud Deum sit?* 2. *Num Christus juxta Petrinam confessionem proprie Filius DEI sit?*

Filius unde dicitur?

XCVIX. *Filius* quæ Etymologiam stirpis Græcæ est à $\Phi\iota\lambda\iota\omicron\varsigma$, notat eum, qui illorum, quorum est Filius est delitiæ, & relationem

tionem ad parentes habet: Sed prout parentum nomen est æquivocum, quando quidem alij sunt parentes curâ, alij adoptione, alij naturâ, & generatione; Ita & Filij nomen non uno semper modo tam in sacris, quam in prophanis sumitur.

O. Cum autem nihil quid sit, enunciari possit, nisi definitum in certa aliqua acceptione collocetur, nobis quoque incumbit, ut idem faciamus: Quapropter quærimus non de filijs ratione curæ; sed tantum de Filio, qui ex natura & generatione hoc habet nominis; Hic, quod sit persona ex essentia alicujus intelligentis substantie producta similis eidem naturâ, apud quemlibet sanæ mentis in confesso est. Primum hoc.

Filius
quid?

CI. Secundò Christum propriè Filium Dei esse, & Petrum Filium DEI proprium intellexisse probamus: 1. E Scopo Petri. Petri scopus, & intentio erat, suo & condiscipulorum nomine confessionem de Persona Præceptoris sui edere: Edidisse ergo illam verbis perspicuis, & propriis, quis dubitabit? Nemo nobis fidem faciet, vel unico medio facere poterit in Petrinis verbis vel syllabam impropiè accipi, multò minus vobiscum DEI FILIUS. Quapropter ita concludimus:

Christum
esse Filium
Dei pro-
prium pro-
batur
1. e Scopo
Petri,

Qualis fuit intentio, & Scopus Petri, talis fuit confessio.

At qui intentio fuit, genuinam, & propriam edere confessionem.

Ergo dubio procul omni valem quoque edidit.

CII. 2. Ex approbatione Christi. Christus certè eam confessionem non approbasset, si quid in ea desiderari potuisset; præsertim cum res ageretur maximè seria. Approbat autem 1. dum ob editam confessionem Petrum Beatum prædicat. 2. dum confessionis originem commendat, dicendo: *Caro & sanguis non revelavit tibi; sed Pater meus, qui in cælis est;* in quibus iterum emphasis non contemnenda est, quando Petro hanc confessionem à Patre in cælis revelatam esse dicitur: 3. dum ejus firmitas, & natura declaratur, 1. quando Petra nominatur ideò, quia fidei fundamentum, imò ipsa fides est. 2. quando ab inferorum portis tuta præditur: Sicut enim de verbo DEI in genere dicitur. *Verbum Domini manet in æternum;* ita nec hanc confessionem de Christi æterna Deitate, & vera filiatione ullamquam delebit hæresis.

2. Ex approbatione
Christi.

3. Ex aliis
scriptura
testimo-
niis.

CIII. 3. Ex aliis Sacra Scriptura testimoniis. Non quidem juxta
literam hæc ullibi extat propositio: *Christus est Filius DEI na-*
turalis: Videantur tamen sequentia, & habebimus eidem æ-
quipollentia. Dicitur **CHRISTUS proprius Dei Filius Rom.**
8, 32. *DEUS id est quæ proprio Filio non pepercit; Qui id est patrem*
proprium Patrem suum Deum dixit Iohan. 5, 18. Et ita est pro-
prius, ut genituræ non habeat socios; hinc dicitur *μονογενής*
Ioh. 1, 14, 6. 3, 16, 1. Ioh. 4, 9. & quidem talis *μονογενής*, qui est,
(arrige aures) *εἰς τὸν κόλπον τοῦ πατρὸς ἐν σίνῃ πατρὸς*, Ioh 1, 18.
qui genitus est ab æterno, & antequam homo fieret, Proverb. 8, 22. Quæ
propter, & nomen Filii non demùm in nativitate, & quando
è Spiritu S. fuit conceptus, accepit, sed & in V.T. habuit Ps. 2, 7.
CIV. Constat ex dictis; Christum propriè dici Filium Dei;
colligimus hinc:

Qui propriè est Dei Filius, ille est verus Deus. Minor hæc certa
est: Quia Filius est Persona ex essentia, & substantia Pa-
tris producta similis ei natura.

Christus propriè est Dei Filius. Ergo.

Minorem hæctenus, præsertim in præcedenti thesi deduxi-
mus. **Exceptiones.**

Exceptio-
nes.

CV. Et his quidem probè consideratis omnes Adversario-
rum corruptelæ corruant; nihil efficiunt dicentes: *Christum dicè*
Filium Dei κατ' ἐξοχὴν, quòd sit inter omnes præcipuus, dici propri-
um, quia sit è Spiritu S. conceptus, & præ omnibus charissimus; Ad-
datur; quòd Deus quoque sit id est eius pater: quòd Christus
unigenitus Filius sit in sinu Patris, sit ab æterno genitus; Sicq;
æterna patebit generatio, & qua ratione Christus proprius Dei
Filius sit innotescet.

CVI. Nihil insuper prætendunt Adversarij, urgentes; *Filium*
hominis à Petro vocari Filium Dei; item in reliquis dici traditum in
mortem, quæ minimè competant ei, qui natura sit Deus. Responsio
parata est: *Dua sunt in Christo naturæ Humana & Divina*; illam
non negant Adversarij; Hanc in præcedentibus sufficienter de-
monstravimus, & adhuc demonstramus; Nulla ergo contrarie-
tas, etiamsi Christus Filius Dei, & Filius hominis dicatur. De-
inde Christum etiam ut verum Deum in mortem esse traditum
credi

credimus firmiter ob personalem duarum in Christo naturarum unionem, ob quam etiam Act. 20, 28. dicitur: *Deus sanguine suo redemit Ecclesiam, & 1. Ioh. 1, 7. Sanguis Iesu Christi Filij Dei emundat nos ab omni peccato.* Sic ergo, quod Deo per naturam non competit, eidem in Persona propter *ὁμονομίαν* gratiosam id competere nos sacra scriptura docet.

DE NOMINE DEI,

quod Christo attribuitur.

CVII. Johannes & Paulus *μυσὰ τὸ θεῶν* planè incomparabiles ad tantam pervenerunt rerum Theologicarum scientiam, quantam in hac fragilitate aliàs attingit nemo: Uterq; dilectus Domini servus divinitatis mysterium familiarius bibit, ut nobis propinaret (*utor verbis Augustini de Ioh. lib. de consens. Evang. 21*) Uterque quoque de Deitate Christi verbis minimè obscuris agit.

CVIII. In Johanne duo sunt loca notatu dignissima; prior est Ioh. 1, 1. habet ita: *θεὸς ἦν ὁ λόγος*; posterior est 1. Ioh. 5, v. 20. cuius hæc verba: *Hic (Jesus Christus) est verus Deus, & vita æterna.* Paulus hæc profert Rom. 9, 5. *Christus est in omnibus DEUS benedictus in secula.* Quid in hisce quæso est obscuritatis? quid dubij Christianus exindè concipere posset! nisi quis malitiosè scripturam pervertere intenderet?

CIX. Sanè testimonia hæc ita sunt comparata, ut quid pro explicatione illorum dicamus, fermè non inveniamus; simpliciter ergo ex iisdem ita concludimus:

Qui absolute dicitur Deus à testibus fide dignissimis, imò ab ipso Spiritu Sancto; is non modò expressam Deitatis notam habet; Sed omninò est verus, & æternus Deus.

Christus à testibus fide dignissimis, imò ab ipso Spiritu S. absolute dicitur Deus. Ergo.

Exceptiones.

CX. Hæretici quomodo excipiant attende, & malitiosam scripturæ persionem deprehendes. Excipiunt autem 1. Ad verba ex Ioh. 1, 1. Iohannem loqui de *λόγῳ* qui sit apud DEUM, ex quo sequatur eum natura non esse Deum, alioquin duo essent Dij.

Resp. 1.

Exceptio-
nes.
Prima.

Responsio.

Resp. 1. Ante prætextum in verbis; *apud DEUM*, qua situm impugnanda prius fuissent verba satis clara; Θεός ἦν ὁ λόγος; hoc quia non fit, aliud quasi agendo fundamentum rei negligunt adversarij. 2. Christum esse personam ex duabus naturis constantem, tum alibi probatur fusiùs; tum ex dictis liquet; Rectè ergò λόγον verè Deum esse Christianus colligit, imò firmissimè credit, quia Johannes asserit. 3. Non sequitur, quando λόγος sit Deus, & tamen dicatur esse apud Deum, duos esse Deos; Unus est Deus, & unum Deum reverà credimus; Sed in una Deitate tres personas, ut una credamus, tum *illustris revelatio Matth. 3, 16, 17. tum Christi assertio Matth. 28. 19. tum Iohannis testimonium 1. Epist. 5. 8. cogit.* Sciendum ergò, ne fingatur, quæ nulla est contradictio; Vocabulum DEI modo ἀπλῶς, modo ἑλικῶς accipi; *Priori modo* notat in DEO essentiam divinam omnibus in Trinitate personis communem, quas propterea omnes connotat, quo sensu in Deum, id est; totam Trinitatem credere, & sperare dicimur; *Posteriori modo* notat essentiam divinam certò caractere in persona hac vel illa limitatam, quo sensu dicitur; DEUS pater, Deus Filius, Deus Spiritus Sanctus. Quando ergò dicitur: λόγος est Deus, & λόγος erat apud Deum, non priori modo & ἀπλῶς; sed posteriori & ἑλικῶς vocabulum Dei accipitur; sensu hoc: λόγος secunda Trinitatis persona; Deus Filius erat apud Deum, scilicet Patrem; de cuius Deitate neque ipsi Adversarij litem movent; Ita ergo omnis difficultas expirat.

*Vocabulū
Dei quot
modis ac-
cipiatur?*


Secunda.

CXI. 2. 1. Ioh. 5, 20. Hæc sunt verba: *Scimus, quod Filius Dei venit, & dedit nobis mentem, ut cognoscamus illum, qui verus est, & simus in vero, in filio ejus Iesu Christo; Hic est verus Deus, & vita æterna.* In his, inquit, verba: *Hic est verus DEUS* non pertinent ad Christum, sed ad Deum qui misit filium, quia pronomina relativa ad proximè præcedentia non semper respiciunt.

Responsio.

Resp. 1. Dari exempla, utpote *Act. 7, 18. 19. 2. Ioh. v. 7.* in quibus relativum ad proximè præcedens substantivum non dirigitur, concedimus; Sed num statim sequitur? In aliquibus res se ita habet; Ergo quoque *1. Ioh. 5.* Argumentum nimis particulare est; de conclusione quid judicandum sit, sciunt etiam

tyrones





05 A 1847

ULB Halle
003 787 737


3



Wort







Farbkarte #13

B.I.G.

NA
CHRIST I

tas
emonstrata.

DE
*ndo, Amplissimo &
imo*

BALDUINO,
ore publico; Facult.
eclesiarum Electoratus
li vigilantissimo, & Con-
tino, Praeceptore, Fautore,
vantiae cultu jugiter
do,

*ademia publica dispu-
cta a*

CK WITZIO Lausii.
d. Wittebergensis
e.
Maj.

RGÆ
GORMANNI.
TI 1624.